

C.
a. 31. 2/12

Leithy
sermos

Platonis
opera
omnia
VI.
1.

PLATONIS
OPERA OMNIA.

RECENSUIT ET COMMENTARIIS INSTRUXIT
GODOFREDUS STALLBAUM.



VOL. VI. SECT. I.

CONTINENS

EUTHYDEMUM.

GOTHAE ET ERFORDIAE
SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.
MDCCCXXXVI.
LONDINI APUD BLACK ET ARMSTRONG.

PLATONIS

EUTHYDEMUS.

RECENSUIT ET PROLEGOMENIS

ATQUE

COMMENTARIIS ILLUSTRAVIT

GODOFREDUS STALLBAUM.



C. a. 31 $\frac{9}{12}$

III a 21.

GOTHAE ET ERFORDIAE
SUMPTIBUS GUIL. HENNINGS.
MDCCCXXXVI.
LONDINI APUD BLACK ET ARMSTRONG.

122 V

PLATONIS
EUTHYDEMUS.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

122 V

122 V

ERFORDIAE
TYPIS HENNINGS & HOPE.
1836.

DISPUTATIO
DE
EUTHYDEMO PLATONIS.

Sophistarum, qui in scriptis Platonis commemorantur, duo potissimum genera discernere licet, quorum tamen alterum cum altero multa habuit communia. Alii enim reperiuntur ornate dicendi maxime et eloquentiae facultate id studuisse efficere, ut audientes delinirent delinitosque in sui admirationem raperent. Iactarunt enim non modo illud, quod paene omnes profitebantur, docere se posse, quomodo causa inferior verborum industria superior fieret, verum etiam magnam doctrinae copiam et ubertatem affectantes sese dictitarunt de quovis argumento statim copiose disputaturos atque in conventibus postularunt de qua re quisque audire vellet. Quo in genere Gorgiam, Hippiam, aliosque studiose elaboravisse quum aliunde tum ex Platonis scriptis certissime constat. Ab horum ratione aliquantum discesserunt qui eximie sophistarum nomine appellantur; qui quidem quamvis nec ipsi dicendi artem aspernati, tamen studium suum atque industriam praecipue ad disserendi facultatem contulerunt et ex hac una maxime gloriam atque auctoritatem quaesiverunt. Hanc vero dialecticam subtilitatem iam Protagoras Abderites, huius familiae princeps, ad forensium usum et consuetudinem traduxit, eaque re fecit, ut non pauci hanc disciplinam tanquam egregiam causarum recte agendarum adiutricem plurimi aesti-

marent *). Ex quo tempore quum in universa Graecia, tum maxime Athenis ingens extitit eorum multitudo, qui disserendi arti operam darent eiusque studio mirifice ducerentur. Verum enim vero dici non potest, quam cito res per se sanequam haud contemnenda in pravam quandam argutandi lubidinem verterit, praesertim quum sophistae ipsi non tam quid verum esset curarent, quam indagarent ea, quibus doctrinae et subtilitatis laudem consequerentur. Quid quod inter ipsos istos sapientiae professores mature exorti sunt, qui studio veritatis omni deposito, unice acuminis et ingenii famam aucupantes, sese totos ignobili fallacium conclusiuncularum nectendarum artificio dederent atque in disputando argutis captionibus id conarentur efficere, ut quidquid ab aliis responderetur, id argueretur falsum esse, ipsorum autem sententiae quamvis absurdae audientibus probarentur. Enimvero ita fert humanum ingenium, ut quae acute excogitata sunt, etiamsi speciem tantummodo acuminis mentiantur, tamen nescio quam vel oblectationis gratiam afferre vel etiam laudis commendationem habere videantur. Praeivit autem huius rei exemplum ipse totius huius familiae princeps, qui quum unamquamque rem prouti sensibus aliter appareret, ita etiam aliam esse vellet**), profecto omnia dubitandi lubidini reddidit obnoxia. Hinc accessit, quod disserendi et argutandi sollertiae et consuetudini plurimum tribuit. Audias Diogen. Laert. IX. 52. ita scribentem: οὗτος (Protagoras) πρῶτος — καὶ λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο καὶ σοφισμα τοῖς πραγματολογοῦσι προσήγαγε, καὶ τὴν διανοίαν ἀφείκε πρὸς τὸ νόημα διελέχθη καὶ τὸ νῦν ἐπιπόλαιον γένος τῶν ἐριστικῶν ἐγέννησεν· ἵνα καὶ Τιμων φησὶ περὶ αὐτοῦ· Πρωταγόρου τ' ἐπίμικτος ἐριζέμεναι εὐ εἰδώς, οὗτος καὶ τὸ Σωκρατικόν εἶδος τῶν λόγων πρῶτος ἐκίνησε, καὶ τὸν Ἀντισθένης λόγον τὸν πειρώμενον ἀποδεικνύειν, ὡς οὐκ

*) V. Cicero. Brut. 12. Quintil. Instit. III. 1, 12. Profertus est Protagoras etiam celebratissimum illud, τὰ ἥτις χρεῖται ποιεῖν, idque ope artis disserendi, v. Gell. N. A. V. 3, 7.

**) V. Theaet. p. 152. A. et p. 177. C. ubi Protagoreos vocat τοὺς τὴν φερομένην οὐσίαν λέγοντας καὶ τὸ αἰεὶ δοκῶν ἕκαστοῦ τοῦτο καὶ εἶναι τοῦτο ἢ δοκεῖ. Cratyl. p. 386. D.

ἔστιν ἀντιλέγειν, οὗτος πρῶτος διελλεχται, κατὰ φησὶ Πλάτων ἐν Ἐὐθύδημῳ. Adde Suidam, qui in voc. Πρωταγόρας· ἐκλήθη πρῶτος οὗτος σοφιστής, πρῶτος δὲ οὗτος τοὺς ἐριστικῶς λόγους εἴρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο. Ita igitur factum est, ut nec magistri deessent vanissimae artis, et numerus eorum, qui illam colerent vel admirarentur, eo magis cresceret, quo plus utilitatis inde vel ad causas commode agendas vel ad consequendam artis civilis perfectionem atque laudem redundare existimaretur *).

Et istiusmodi quidem homines Plato quum alibi saepe per occasionem notaverit ac perstrinxerit, sicuti paucis ad Remp. V p. 454. E significavimus, tum in Euthydemo de industria castigavit acerbissime, in quo libro proposito Euthydemii et Dionysodori exemplo perspicue docetur, quibus artificii et fraudibus inanis illa disputandi sollertia usa fuerit. Inducuntur enim illi ita disserentes, ut ineptissimas quasque cavillationes et captiosas quaestiunculas, magnam partem ex Protagorae ratione derivatas, miro animorum ardore cumulent atque praestigiis istis suis aciem eorum, qui disputationi intersunt, vel re vera praestringant vel certe praestringere conentur. Quocirca vel hanc ob causam dignus hic liber fuit, de quo quaereretur subtilius: neque enim in ullo antiquitatis opere tam illustris imago ob oculos posita est argutae illius dialectices, quae universam paene Graeciam tantopere commovit, ut ipse Aristoteles postea operae pretium duxerit, quo modo contorta illa et aculeata sophismata expedienda essent, subtilius exquirere. Quanquam in isto nequaquam sunt omnia: pertinet enim hic liber, ut videbimus, etiam ad Socratis rationes quasdam illustrandas, de quibus ut tandem aliquando rectius quam adhuc statuatur, et ipsius viri et literarum causa valde optandum est.

Priusquam autem de his rebus deque universae scriptionis argumento et proposito disputare instituamus, et de sophistis illis, qui loquentes introducuntur, exponere iuvat,

*) Ab inani hac arte sophistarum diligenter discernenda est Megaricorum disserendi ratio, ab Eleaticis profecta illa, quae quanquam et ipsa utebatur argutis et contortis conclusiunculis, tamen tota ad locos quosdam philosophiae explorandos pertinebat neque mero argutandi et cavillandi lusu continebatur.

et de rationibus atque causis explicare, cur illorum censura non ad ipsos tantum, sed ad universam eristicæ disciplinam a Protagora profectam pertinere iudicanda sit. Habeat enim Platonis dialogi, ut constat, hoc sibi proprium, quod argumentum eorum fere ita tantum plene accurateque percipi potest, si de vita, moribus et opinionibus hominum in iis colloquentium certius constituerit: quod quia multi olim non animadvertierunt, factum est ut vel doctissimi homines saepenumero in philosopho interpretando praecipites agerentur.

Itaque Euthydemus et frater eius Dionysodorus quoniam fuerint et quid egerint, etsi aliunde parum accurate novimus *), tamen ex Platone non obscure intelligitur. Patriam narrantur Chium habuisse, clarissimam Ionum insulam. Qua relicta Thuriis migrarunt, postea autem se in Atticam contulerunt, ita ut nunc Athenis, nunc aliis in oppidis commorarentur **). Enimvero quamvis iam aetate multum essent proveci et vero etiam, ut ait Horatius, seri studiorum ***), tamen non dubitabant se profiteri sapientiae et virtutis magistrōs. Duplex autem eorum fuit professio, quandoquidem et artem tractandorum armorum tradebant, quam videntur exercuisse, priusquam se darent sophisticæ, et virtutis disciplinam pollicebantur omnium optimam ****). Redibat tamen, sicuti videtur, omnis eorum ad virtutem institutio potissimum ad ἀντιλογικὴς sive eristicæ artis usum et exercitationem, qua quidem tantum poterant, ut quidquid esset argutarum et fallacium tricarum, id statim in promptu haberent et, quamvis essent aetate grandiores et edentuli, ingenti cum linguae volubilitate in medium proicerent. Scilicet nihil erat quod sibi non viderentur continuo ar-

*) De Euthydemis egit Fabricius Bibliothec. Graec. 2, 81. 18. 3, 11. 6, 9. 4. et ad Sext. Empir. adv. Mathem. 7, 13. p. 372 sq. conf. Schneider. ad Xenoph. Mem. 1. 2, 29. Chium nostrum Fischerus ad Cratyl. part. XI. p. 12. male confudit cum Dioclis filio, qui memoratur Plat. Sympos. p. 222. B. c. 37. Distinguedus idem est ab Euthydemo, Cephalii filio, Lysiae fratre, cuius mentio fit De Rep. 1. p. 328. B.

***) V. p. 271. C.

****) V. p. 272. B.

*****) V. p. 273. C. D.

gutis conclusiunculis posse labefactare et convellere. Neque haec rixandi et altercandi consuetudo ab eorum doctrina, si quae fuit, abhorruit. Nam Euthydemus quidem ita sibi persuaserat: πᾶσι πάντα ὁμοίως εἶναι ἀναγκαῖα καὶ ἀεί *), rerum naturam hominibus ad unum omnibus eandem usquequaque esse videri neque aliis tempore quoque aliam; a qua sententia profectus similiter atque Protagoras quidquid diceretur infirmare et in dubitationem vocare potuit. Hanc igitur artem satis ignobilem factitantes illi apud aequales, utpote talium argutiarum amantissimos, non exignam videntur adepti esse auctoritatem. Certe quidem plerique syllogismi, qui ab iis apud Platonem proferuntur, ab Aristotele De Sophistarum Elenchis **) examinantur, quos vereor ut Stagiritis fuisset memoraturus, nisi multorum animos in se convertissent. Quanquam fieri potest, ut Plato hos potissimum sophistas disserentes fecerit, non quia praeter ceteros honorati essent, sed quod eorum exemplo optime posset demonstrari, quousque rabies ista de omnibus rebus altercandi et rixandi esset progressa, et quantum ea detrimenti verae sapientiae disciplinae afferret ***). Nam quod iam antea significavi, quae in Euthydemo a Platone sunt exposita, haudquaquam ad unum Euthydemum et Dionysodorum spectant, sed pertinent potius ad explodendam totam illam eristicam, quae a Protagora duxerat originem, imo etiam ad ipsum Protagoram. Cuius rei complura sunt argumenta ab ipso Platone non obscuris sane iudiciis prodita, neque tamen adhuc a quoquam animadversa.

Nam primum quidem non sine causa fieri putamus, quod Euthydemus et Dionysodorus Thuriis narrantur Athenas commigrasse. Cuiusmodi res si qui putant temere a philosopho commemorari, nae illi in magno opi-

*) V. Plat. Cratyl. p. 386. D. ubi nemo dubitabit quin idem Euthydemus intelligendus sit, qui in libro cognomini loquens inducitur.

**) Hoc quum passim per totum librum agatur, tum maxime ex c. 9. et 10. perspicuum est.

*****) Latius etiam paulatim serpere coepisse istam eristicorum nationem, ex eo intelligitur quod Isocrates saepenumero in eos acriter invehitur.

nonis errore versari existimandi sunt. Etenim teste Heraclide Pontico apud Diogen. Laert. IX. 50. Protagoras Thuriorum coloniae Olymp. 84. 2. s. a. 443. ante Chr. natum conditae leges scripsit ideoque illic aliquamdiu commoratus esse videtur. Certe quidem a Platone Hipp. mai. p. 281. D. E. narratur in Sicilia esse versatus ibique cum Hippia artem sophisticam facitasse. Quocirca haud absurde conicere licebit Chios istos colonos ibi in interiorem quandam sophistae celeberrimi notitiam et familiaritatem pervenisse atque postea temporis revertisse Athenas ibique ad illius exemplum sese componentes dialecticae vel potius eristicae operam navasse *). Quod quo tempore egerit, certo definiri non potest, siquidem Schleiermacheri coniectura ad locum p. 271. de fuga eorum prodita incerto nititur fundamento, id quod suo loco docehimus. Sed alia etiam sunt, unde Euthydemo eiusque fratri cum Protagora aliquid necessitudinis intercessisse non inepte suspiceris. Quod enim illi praeter disserendi artem ac virtutis disciplinam etiam *ὀπλομαχίαν* professi sunt, equidem non dubium esse arbitror, quin hac in re Abderitae exemplum sint imitati. Scripserat enim Protagoras teste Laertio IX. 55. praeter alia etiam librum *περὶ πάλης*. Quod ne temere ab hoc scriptore confictum putes prohibent verba Platonis in *Sophist.* p. 232. D. *τά γε μὴν περὶ πασῶν τε καὶ κατὰ μίαν ἐκάστην τέχνην, ἃ δὲ πρὸς ἕναστος αὐτὸν τὸν δημιουργὸν ἀντιπεῖν, δεδημοσιωμένα που καταβέβληται, γεγραμμένα τῷ βουλομένῳ μαθεῖν.* Th. *Τὰ Πρωταγόρειά μοι φαίνει περὶ τε πάλης καὶ τῶν ἄλλων τεχνῶν εἰρημένα.* Hic enim quominus *περὶ πάλης* cum Schleiermachero metaphoricè de disputandi certamine intelligamus, vehementer impediunt verba antegressa *πρὸς ἕναστος αὐτὸν τὸν δημιουργόν.* Nec per se incredibile est Protagoram huius artis peritum atque gnarum fuisse, siquidem vera sunt, quae a Gellio N. A. V. 3. narrantur. Quamquam igitur libenter concedimus eleganti lusu a Platone artem armis pugnandi sophistis attribui, ut videlicet isti in omni certaminis genere perfecti et consummati esse

*) Narrantur enim p. 272. C. Thuriis relictis *πολλὰ ἤδη γρηπερὶ τοῖσδε τοῖς τόποις διατρίβειν*: quibus deinde adduntur haec: *πέρουσι δὲ ἢ προαίρουσι οὐδέπω ἤσκησαν σοφῶ.*

videantur, tamen huius artificii commemoratione simul magistrum eorum atque ducem, qui et ipse artis athleticae non fuisset imperitus, non sine quadam irrisione significari nobis plane persuasimus. His accedit tertium quiddam, quod homines fuisse Protagoreos arguit. Quod enim uterque narratur praeter disserendi artem etiam forensium orationum scriptionem calluisse, id prorsus accommodatum est ad disciplinam Protagorae, quem antea vidimus in eo elaboravisse, ut artem sophisticam ad forensium dictionem traduceret. Huius igitur auctoritatem sequuti illi etiam iudicia acumine scilicet suo atque ingenio illuminare conati sunt. Praeterea qui locus vehementer torsit hominum doctorum ingenia necdum a quoquam satis dilucidatus est, pag. 293. A., is clarissimam accipit lucem, ubi Euthydemum et Dionysodorum fidos Protagorae discipulos fuisse sumserimus. Quod enim Socrates ibi sophistas interrogat, sitne ars regia, qua virtus ac sapientia absolvatur, ob oculos habuit procul dubio Protagorae decretum quoddam, de quo postea in argumenti enarratione dicitur. Nam iniecta huius sententiae mentione homines ab inani argutiarum studio callide traducere conatur ad severam gravemque disserendi rationem, siquidem ita futurum esse sperat, ut illi tandem aliquando missis ineptiis suis magistri rationem defendendam suscipiant. Porro p. 286 sqq. usque ad p. 288, dedita opera a Socrate refutatur sententia illa nobilissima Protagoreorum, qua omnis dissentendi refellendique facultas tollebatur, ita quidem, ut illorum diserte mentio iniiciatur; quod quis est qui sibi ita fieri persuadeat, nisi Euthydemus et Dionysodorus et ipsi Protagorae rationem amplexati fuissent? Quid quod etiam alia quaedam decreta iis tribuuntur, veluti p. 283 sq. p. 285. p. 293 sq. quae, sicut postea docebimus, ex Protagorae doctrina manarunt. Denique hoc potissimum genus sophistarum, quod Protagoram sectabatur, Socrati maximam videtur invidiam atque odium conflavisse, unde factum est, ut vir optimus vel a poetis comicis una cum illis corripere. Quum enim multi Socraticam philosophandi rationem ab illorum vaniloquentia parum aut nihil discernere, vir innocentissimus in eam adductus est suspicionem, ut vulgo in illorum numero habendus videretur; quod ipsum etiam Hegelianis quibusdam nuper accidisse inter omnes constat.

Sed postremum hoc, quod commemoravimus, quor-

sum spectet, tum demum evidenter apparebit, quum accuratius fuerit exploratum quid philosopho in hoc opere scribendo propositum fuerit. De qua re dici non potest quanta usque ad hunc diem virorum doctissimorum sit dissensio atque controversia.

Et vulgaris quidem olim haec fuit doctorum hominum de hoc libro sententia, ut Platonem existimarent id egisse potissimum, ut inanes sophistarum argutiae atque fraudes copiosa exemplorum enumeratione demonstrarentur. At enim vero hoc unum si Platoni fuisset propositum neque aliud investigari posset libri propositum; nos quidem lubenter fatemur assensuros esse Friderico Astio, viro clarissimo, totum opus Platonis ingenio et arte indignum iudicanti. Nam ut taceamus istam spinosarum conclusiuncularum congeriem per se ad eristicae istius vim naturamque illustrandam iudicandamque parum momenti facere, certe nullo modo intelligitur, quo vinculo singulae libri partes inter se contineantur, planeque redundare videtur postrema pars dialogi, in qua Crito cum Socrate loquens inducitur. Sed re diligenter explorata nemini, opinor, dubium esse poterit, quin qui ita de universo opere iudicaverunt, aliquantum a recta ratione declinavisse existimari debeant. Verissime enim Schleiermacherus eam quoque sermonis partem in censum venire observavit, quae Socratis cum Clinia sermonem complectitur quaeque rationis Socraticae illustrat praestantiam. Quanquam is hac observatione sua nostro quidem iudicio non ita usus est, uti a tanto viro factum velles. Fuit enim vir egregius in ea opinione, ut quae philosophus in Gorgia, Theaeteto et Menone de virtutis disciplina deque scientiae atque cognitionis natura exponere orsus esset, ea in Euthydemo ulterius profligari adeoque legentium animos ad amplioris cuiusdam et subtilioris doctrinae explicationem veluti praeparari *) existimaret. Quorum omnium nihil propemodum vere recteque affirmari facili negotio demonstrari potest. Nam ut taceam Menonem, in quo libro quod argumentum tractatur, id planissime ad liquidum perducitur, nec disputatio de mutua honestatis et utilitatis ratione in Gorgia agitata nec quaestio illa de

*) V. Opp. Plat. Vol. II. P. I. p. 400 sqq.

scientiae natura in Theaeteto instituta in hoc scripto subtilius exponitur aut illustratur uberius. Quocirca ne Schleiermacherus quidem nodum istum, quem Astius violenter secundum statuit, ullo modo expedivisse videtur. Neque viri acutissimi iudicium Socherus aut Winckelmanno, nupero libri editori, probatum est, quorum hic pariter atque ille ab eius opinione suam se iunxit sententiam. Socherus enim Platonem censuit verae germanaeque philosophiae dignitatem voluisse vindicare ab ignominia et mala existimatione, quae ei apud multos per improbas eristicorum artes conflata esset *). Winckelmannus autem in eam disputavit sententiam, ut Platonem statuerit luculento exemplo declarare voluisse, quanto intervallo distaret eristica sophistarum, verborum ambiguitatis auceps et mentis perturbatrix, a dialectica Socratica, et qualis esset utriusque fructus **). Nec vero negari potest utrumque superioribus multo propius ad verum accessisse. Quanquam equidem non adducor, ut veram rationem ab iis usquequaque patefactam esse mihi persuadeam. Nam Winckelmanni quidem ratio hoc habet incommodi, quod ex ea non perspicitur, quo vinculo postrema sermonis particula cum universae disputationis ratione contineatur: quod certe iure meritoque requiras, nisi Platonem ipsum operis unitatem atque simplicitatem non curavisse temere existimare volueris. Socherus autem etsi omnes ac singulas sermonis partes prudenter iudicio suo complexus est et, si summam rei aestimes, fortasse verum perspexit, tamen nec quorsum singula spectent et quam vim habeant, accurate exposuit, ut profecto multam quaerendi, dubitandi, obloquendi materiam reliquisse videatur. Quocirca nobis visum est aliam ingredi disputationis viam, ut tandem quid de universi operis argumento et proposito iudicari oporteat, si fieri possit, extra omnem dubitationem ponatur.

Versabimur autem in huius argumenti tractatione sic, ut ante omnia quid nobis de summa rei videatur, paucis exponamus; deinde sententiam nostram enarrando dialogi argumento vel illustremus vel confirmemus; deni-

*) V. De Script. Plat. p. 212.

**) Sunt haec ipsius verba Prolegg. ad Euthydem. p. XXXIII.

que disseramus de aliis quibusdam rebus, quae cum Euthydemii argumento habent aliquam coniunctionem et necessitudinem. Quibus expositis si forte obscuro Platonis operi plus lucis admovisse videbimur, quam adhuc ab eius enarratoribus factum est, habebimus sane, cur operae nostrae pretium aliquod statuendum esse minus dubitemus.

Iuvat igitur ante omnia paucis exponere, quid nobis de universi colloquii summa iudicandum videatur. Atque nescio sane, an nihil aut certe non multum a vero aberremus Platonem existimantes docere voluisse spinosam illam atque rixosam sophistarum disserendi rationem, quam maxime colerent Protagorei, etiamsi se ambitiosius virtutis magistrum iactaret, tamen nihil esse nisi vanam argutiarum maxime e vocabulorum ambiguitate ductarum captatricem, ideoque Socraticae disputandi consuetudini, unice illi ad rectam sapientiae et virtutis institutionem comparatae, plane contrariam; nihilominus autem eam ab hominibus philosophiam leviter gustantibus nominatimque a fastuosius forensium orationum scriptoribus pro vera germanaque philosophia haberi, atque ita accidere, ut quum universa sapientiae disciplina tum Socratica disserendi docendique ratio immerito in invidiam multorum et contemptum adducatur, ipseque vir sapientissimus in vanorum sophistarum numero habeatur.

Itaque primum quidem Platonem censemus utique hoc esse secutum, quod nemo est quin vel mediocriter attentus facile animadvertat, ut Socratica disserendi ratio veluti signis suis ab inani illa atque fraudulenta sophistarum arte dignosceretur. Quod quomodo philosophus efficere studuerit, postea videbimus, ubi ad argumenti enarrationem erit perventum. Cum huius autem rei tractatione arctissime coniunctum est illud, quod ita simul etiam ipsius Socratis dignitas atque virtus ab eorum calumniis vindicatur, qui virum innocentissimum temerario iudicio ventosae illi sophistarum nationi accensissent. Quorsum pertinet locus vel maxime memorabilis p. 394. E. sqq. quem miramur sane ab interpreti-

bus neglectum esse, quum ostendat luculentissime, non de una disciplina Socratica agi, sed etiam de ipsius Socratis apud alios existimatione. Iam vero quum Socratica ratio esset adumbranda, fieri non potuit, quin simul locus aliquis philosophiae more Socratico tractandus esset. Itaque prudentissime Socrates duobus libri locis, missa cum sophistis altercatione, ita disserens inducitur, ut cum Clinia potius, adolescentulo, nullis dum sophistarum artibus depravato, colloquens more suo quaedam de verae felicitatis natura, de virtutis disciplina, deque scientia ad eam necessaria disputet, itaque ostendat, quantum ipsius ratio ab illorum nugis et praestigiis recedat. Quod quidem pro summo atque extremo universi operis consilio sic instituitur, ut argumentum disputationis tantummodo leviter attingatur, non in illustriore luce colloquetur. Nam nihil aliud Socrates sibi vult, sicut ipse ait, nisi hoc unum, ut sophistis exemplum aliquod ob oculos ponatur, ad cuius normam suscepta disputatio de virtutis institutione, quam illi professi erant, prudenter dirigatur. Quocirca ipsius Socratis de his rebus sententia magis significatur obscure, quam enucleate exponitur. Ex quo ipso perspicuum est, cur improbandum censemus Schleiermachers iudicium, qui in his ipsis libri partibus summum scriptoris consilium cerni arbitratus est. Igitur haec tria singulari ac prope divina arte a philosopho inter se coniuncta videmus, ut et loci quidam doctrinae Socraticae attingantur, et ipsius Socratis virtus ab inanibus quorundam reprehensionibus vindicetur, et ratio disserendi Socratica eleganter adumbratur. Quamquam si verum quaerimus, haec omnia denique eo redeunt, ut doctrinae Socraticae maximeque dialecticae praestantia ostendatur. Verum non satis hoc Platoni fuit, qui praeterea etiam artificia illa, quibus sophistae solebant audientium animos deludere delusosque rapere in sui admirationem, ita demonstrare et exaggerare decrevit, ut certissime appareret, quid de iis esset statuendum. Quae quidem libri pars sicuti copiosissime exornata est, ita miro splendet facetiarum lepore, quo tanquam sale perspersa est omnis oratio. Etenim non solum rabies ista disputandi, qua homines correpti erant, suavissimis depingitur coloribus, sed etiam passim in eos dicta iocularia coniciuntur, ut vere liceat affirmare per hanc sermonis partem omnia fere comicam spirare hilaritatem. Nempe secutus est philo-

sophus illud decretum suum, de quo Legg. VII. p. 816. D. *ἀνευ γὰρ γελοίων τὰ σπουδαία καὶ πάντων τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία μαθεῖν οὐ δυνατόν, εἰ τις μέλει φρόνιμος ἕσθαι.* Huc accedit, quod ista disse-
rendi ratio, quamvis inanis atque ventosa, tamen apud multos magnam nacta erat auctoritatem, ut profecto operae pretium esse videri posset eam copiosa oratione coarguere et tanquam spectaculo aliquo illustriore ob oculos posito demonstrare, qualis et quanta esset eius perversitas. Atque non dubitamus affirmare id Platonem praecipuo studio in hoc loco egisse: nam alioquin non tanta copia et ubertate in hoc argumento tractando usus fuisset. Sed nimirum demonstrata sophisticæ rationis vanitate facilius sane atque evidentius videbat emergere Socraticæ doctrinae et rationis virtutem et praestantiam. Denique, quod vel maxime ad materiam praesentem pertinet, philosophus addidit etiam acerbam censuram eorum, qui vel opinionis errore vel quadam iudicii malignitate ducti illas sophistarum argutias et praestigias Socrati quoque tribuissent eoque viri sapientissimi doctrinam et institutionem in multorum invidiam et contemptum adducere studuissent; quos quidem homines graviter admonuit, verae atque germanae sapientiae disciplinae honorem suum atque laudem semper esse mansurum, viri prudentis autem esse, quid in quaque re verum sit atque laudabile, priusquam de ea iudicare audeas, diligenter explorare et perpendere.

Ita igitur apparet universam scriptionem tribus constare partibus principalibus, reprehensione et castigatione cristicarum argutiarum quarum, auctores sese temere virtutis magistros profitebantur; adumbratione rationis Socraticæ coniuncta illa cum brevi significatione earum rerum, quae ex Socratis sententia ad disciplinam virtutis requirebantur; denique censura pravorum iudiciorum de Socratis institutione et disciplina. Quae quidem partes si ex me quaeris, quo modo inter se cohaereant, ut operis unitas et simplicitas efficiatur, nihil habeo quod respondeam praeter ea, quae paullo ante posui. Redit enim universae disputationis summa eo, ut doceatur, sophistarum cristicam, quantumvis se virtutis magistram iactet, temerario quodam argutandi lusu contineri, rectamque viam ad virtutem et sapientiam per unam Socraticam monstrari rationem; nihilominus autem

accidere, ut haec cum illa ab hominibus semidoctis et sapientiae opinione inflatis temere permutetur atque ita immerito infamiae maculis adspargatur*). Ex quibus apparet illud quoque agi in hoc libro, ut Socratica ratio atque ipse Socrates ab inanis illius sophisticæ, pulcherrime sane descriptæ, crimine ac suspitione defendatur.

Iam patefacta in universum libri arte demonstrataque eius unitate atque partium convenientia sequitur, ut argumentum eius enarremus, quo dilucidius appareat, quo iure ita de supremo operis fine et proposito statuendum existimemus. Quod quidem ita facere constituimus, ut si quid vel explicatione vel etiam admonitione aliqua indigeat, id ordine deinceps suo loco interseramus. Nam ita certe fiet, ut et Platonis sententia facilius percipiatur et nostra ratio tanquam certo fundamento fulciatur, atque sustentetur. Faciemus autem enarandi initium ab ipso sermonis exordio.

Conspexerat Crito, nobilissimus ille Socratis amicus, hunc familiarem suum in Lyceō cum peregrinis quibusdam hominibus disserentem, nec tamen ipse propter turbam hominum eos cingentium colloquio interesse vel auscultare potuerat. Quocirca Socratem interrogat, quoniam isti homines fuerint et qua potissimum arte confidant. Cui hic respondet homines fuisse Chios, nomine Euthydemum et Dionysodorum, fratres, qui olim Thurios migraverint, inde vero confugerint in Atticam, ubi iam per aliquot annos sint commorati. Admirabilem autem ait esse sapientiae, qua polleant, copiam et amplitudinem, ut isti demum pro perfectis *ὀπλομάχοις* haberi et possint et debeant. Nam praeter armorum tractandorum peritiam eos gravissimorum certaminis generum scientia excellere, quum et forensium orationum scriptionem teneant callidissime eandemque aliis quoque

*) Id, sicuti alia, non perspexit vir doctus quidam, qui nuper in diario quodam de his rebus sententiam ferre sustinuit. Nempe is unitati artis adversari putat, quod plura tractari videantur argumenta. Sed nimirum bonus homo ne Critonem quidem Platonicum videtur percepisse aut legisse; alioquin quid de hoc Platonis artificio iudicandum esset, certe aliquatenus sentire potuisset. Nunc iste de arte in Euthydemo conspicua suo modo indicavit.

impertiant, et disserendi sollertia atque facultate tantum valeant, ut quaecunque proferantur, acute soleant refellere et coarguere. Itaque semet ipsum ait hominum istorum vehementer appetere disciplinam et institutionem, eandemque etiam Critoni valde commendat, praesertim quum sperare liceat fore, ut vel senes facti eorum artem facile percipiant, neque ipse iis, sicuti Conno, musices magistro, tanquam *ὀψιναδης* infamiam aliquam afferat, quandoquidem etiam Euthydemus et Dionysodorus iam aetate proVecti ista omnia gnauiter didicerint *).

Hoc igitur est sermonis initium, quod versatur in describendis sophistarum illorum studiis itemque urbanissimae irrisiois lepore perfusum est. Quum vero in eo alia sint animadversione non indigna, de quibus commodiore loco dicetur, tum illud maxime observari debet diligenterque animadverti, quod Euthydemus et Dionysodorus narrantur inter alia etiam forensium orationum descriptionem professi esse. Ex eo enim clarum fit et perspicuum, cur extrema sermonis parte forensium orationum scriptores potissimum quum de omni philosophia tum de ipso Socrate iniquis iudicavisse dicantur. Enimvero id genus homines verisimile est, audita ista sophistarum professione, ipsos quoque eristicæ operam dare instituisse, utpote exinde arti suae utique lucrum aliquod sperantes: mox tamen iidem perspecta eius vanitate, neque melioribus philosophiæ praeceptis satis imbuti, quum eloquentiæ laudem unice exoscularentur, coeperunt universam philosophiam contemnere atque ipsum Socratem, qui cum sophistis idemtidem solebat conversari, in eorum habere numero, qui talibus argutiis et praestigiis delectarentur. Id quod non obscure significatur infra p. 304. E. sqq. Nempe homines inflati et fastuosi, ut sibi solis prudentiæ laudem vindicarent, eristicorum fraudes etiam Socraticæ disciplinæ tribuebant, qua quum saepius essent reprehensi et castigati, factum est, ut pro sapientiæ opinione sua magno eius odio replerentur. Ex quo intelligitur, quid necessitudinis iis cum sophistis pariter atque cum Socrate intercesserit, et cur Plato eos non uno loco tanquam homines a philosophia

*) P. 271 — 272.

alienos carpere et notare constituerit. Sed satis haec de sermonis initio: redimus ad Socratis narrationem.

Is igitur a Critone interrogatus, qualis tandem hominum istorum sit sapientiæ et quid profiteantur, ita narrare incipit. Quum e Lyceo, inquit, discessurus essem, repente a daemónio admonitus meo ibi diutius remanere decrevi atque rursus consedi. Vix hoc feceram, quum Euthydemus et Dionysodorus intrant magna stipati audientium caterva et aliquamdiu in porticu deambulant. Interea advenit Clinias, Axiochi filius, et una cum ipso praeter alios eius amatores Ctesippus Paeaniensis, adolescens boni ingenii, sed dicax idem et protervus; qui iuxta me consederunt. Quo animadverso sophistæ protenus ad nos advolarunt, futurum sperantes, ut Cliniam artis suae incenderent cupiditate. Et Euthydemus quidem iuxta Cliniam, Dionysodorus vero proxime ad me consedit, cingente nos magna eorum corona, qui sermones nostros audire vellent. Ibi ego Cliniae sapientiæ, qua viri excellenter, magnitudinem et praestantiam magnopere praedicabam et commendabam. Sed illi laudibus meis non contenti se etiam maius quiddam dicebant profiteri; affirmabant enim se virtutem posse et optime omnium et vero etiam celerime tradere. Quibus auditis ego, qui rei difficultatem semper perspectam habuissem, vehementer obstupui, ideoque eos rogavi, ut nunc huius rei specimen aliquod proponerent atque, missis aliis artibus suis, hoc unum agerent, ut Cliniae virtutis studium commendarent et ob id ipsum cum eo sermonem instituerent *).

Quod igitur supra significavimus inanem istam sophistarum dialecticam sese importune virtutis magistram jactitavisse, id hic ab ipso Platone videmus disertè confirmari. Etenim virtutis nomen quum pateret latissime, sophistæ isti, Protagoræ **) maxime secuti exemplum, quo facilius invenes ad sese allicerent, disciplinam eius et institutionem profiteri non dubitaverunt. Scilicet intellexerunt illi virtutem civilem, hoc est utilitatem, si-

*) P. 272. C. — 275. C.

**) V. Plat. in Protagor.

quidem se institutione sua id effecturos pollicebantur *), ut ipsorum discipuli ad causas dicendas, orationes publice habendas administrandamque rempublicam dialectices ope idonei redderentur. In quo dici non potest quantum a Socratis ratione deflexerint. Qui quum virtutem in scientia honesti et certa officii persuasione inesse censeret, illam sibi persuaserat ita tantum posse doceri, si proba atque recta docendi ratio eo valeret, ut recti honestique sensus in animis eorum, quos quis institueret, excitaretur atque acueretur. Tantum igitur abest, ut Euthydemus et Dionysodorus deinceps de honestatis et probitatis comparandae ratione dicant, ut argutandi facultatem suam ostentaturi alias ex aliis nectant conclusimculas et quaecumque dicuntur, protenus captiosis argumentationibus convellere conentur. Nimirum errorem aetatis suae late propagatum secuti promunt quidquid fallacium sophismatum in promptu habent, idque adeo promiscue atque temere, ut eos facile appareat mera duci argutandi altercandique lubricitate. Quocirca noli quaeso in disputatione eorum certum aliquem atque lucidum sententiarum et argumentationum ordinem quaerere; quem si qui cum Friderico Astio desideraverunt, ii consulto a Platone disputationem ita habitam fingi, quo magis hominum perversitas arguatur, omnino videntur neglexisse. Sed audiamus qualia sint, quae isti virtutis scilicet magistri in medium afferunt.

Initium disputandi Euthydemus facit, Cliniam interrogans, utri discere videantur, sapientes an insipientes. Qui ubi respondit discere sapientes, Euthydemus eum haec conclusimcula adoritur. Qui discunt, inquit, hi ab aliis docentur; qui docent, ignorantibus artes et disciplinas tradunt; ergo non sapientes, sed ignorantes discere iudicandi sunt. Hunc continuo excipit Dionysodorus, qui contraria probaturus haec utitur argumentatione. Grammatista dictante, inquit, ii tantum puerorum discunt, qui non carent sapientia, hanc videlicet intelligens docilitatem; ergo discunt sapientes, nec vero insipientes. Ingeuti audientium plausu coorto vicissim Euthydemus haec profert: Qui discunt, nonne quae non-

*) V. Protag. p. 316. C. p. 318. B sqq. Men. p. 91. A sqq. Hipp. mai. p. 296. A. al.

dum sciunt discere existimandi sunt? Affirmat hoc Clinias. Quo facto ille: Si quis quid recitat, dubium non est, quin literas pronuntiet: iam vero tu literas didicisti; ergo illum audiens discis quae iam antea novisti. Quibus ita conclusis Dionysodorus rursus contrarium probare instituit. Ille enim, Scire nihil aliud est, inquit, nisi habere scientiam; discere autem est scientiam accipere; scientiam vero accipit, qui ea nondum fuit imbutus; ergo qui discunt, ii imbuuntur notitia eorum, quae adhuc ignorant *).

Vides misellum adolescentulum meris vexari argutiis, ex ambiguitate verborum derivatis; de qua re ut verbum addamus, non putamus necessarium. Quocirca urbana sane atque elegans Socratis oratio est, qui ubi Euthydemum videt in eo esse, ut Cliniam novis etiam perturbet conclusimculis, adolescentem amice consolatur, atque hortatur, ut ne animum despondeat, siquidem hospites nunc videantur ludere et iocari, procul dubio mox etiam id acturi, ut ipsi sapientiae suae penetralia penitus recludant et aperiant. Ut tamen caveatur, ne lusus iste protrahatur longius, sophistas modeste et urbane admonet, ut velint promissi sui esse memores, et quo modo virtuti operam dare oporteat, iam tandem adolescentem edoceant, satis perspicue significans, istam quidem ad virtutem institutionem nullius esse pretii. Quum vero antea illi ad alia omnia aberrassent, faciendum putat, ut iis exemplo aliquo ostendat, quale disputandi genus ad rem praesentem adhibendum censeat **).

Itaque nunc specimen aliquod disputationis Socraticae proponitur, unde perspicere liceat, quantum ea recedat ab eristica sophistarum. Etenim primum quidem virtutis notio informatur ita, ut non utilitatis ducatur ratio, sed tota eius vis et natura in scientia ponatur. Deinde disputatur sic, ut omnes argutiae et praestigiae penitus reiiciantur atque id unice agatur, ut recta atque vera exhibeatur notionum finitio et descriptio. Ex quo perspicuum est et materiam disputationis plurimum differre a nugis sophistarum et disserendi rationem ad ex-

*) P. 275. C. — 277. B.

**) Usque ad p. 278. D.

quirendum verum, non ad fucum hominibus faciendum esse comparatam. Redit autem summa eorum, quae a Socrate explicantur, fere huc,

Omnes homines, inquit, felicitatem expetunt. Ea vero censetur possessione honorum. Sed quid bonum sit, quid malum, de eo maxima est opinionum dissensio. Et vulgo quidem divitiae, prospera valetudo, pulcritudo corporis, generis nobilitas, potentia et auctoritas pro bonis habentur. Nec vero dubitari potest, quin temperantia, iustitia, fortitudo, sapientia et felicitas huc referendae sint. Quanquam felicitatem quod una memoravimus, parum considerate fecisse videmur. Continetur enim felicitas non alia re nisi sapientia, ut quae sola efficiat, ut quis in agendo recte prudenterque versetur atque propositum feliciter assequatur. Quocirca hac qui ornatus est, is felicitate haudquaquam indiget. Quid quod etiam divitiae, honores, alia, quae vulgo in bonis ducuntur, ita demum certam stabilemque felicitatem afferunt, si iis recte uti scias, id quod una sapientia effici videtur *). Ex his autem efficitur, ut una maxime sapientia et scientia pro vero bono habenda sit, inscientia pro malo. Iam quum omnes expetant felicitatem, unicuique hoc maxime agendum esse apparet, ut fiat quam sapientissimus. Atque hic gravissima oboritur quaestio, possitne sapientia discendo comparari. Quod si ita est, nihil illa studiosius colendum expetendumque esse consequitur **).

Haec igitur Socrates ad Cliniam, in quibus apparet rationi sophistarum, qui omnia commodis et utilitatibus metiebantur adeoque virtutem ad *εὐρυξίαν* ***) quandam revocabant, eam opponi sententiam, qua ipse felicitatem in virtute, virtutem autem in recti honestique scientia inesse statuebat. De qua viri sententia nemo accuratius exposuit Brandisio in Mus. Rhén. Vol. I. p. 130 sqq. conf. etiam Prolegg. nostra ad Lachetem et Charmidem.

*) De hac Platonis sententia vid. Legg. II. p. 661. A. D. Menon. p. 420. D.

**) Usque ad p. 282. D.

***) V. Menon. extr. Itaque eam a casu temeritate non esse liberam et immunem statuebant.

Plurimum autem refert ad rectam libri veramque intelligentiam, hoc diligenter observavisse, quandoquidem inde perpicue intelligitur verum esse quod supra iudicavimus, Socratis rationem in hoc opere sophistarum disciplinae opponi. Nam Platonis certe sententia posteriore quidem tempore hac in re multum a magistri opinione deflexit, siquidem verissime observavit Aristoteles Euthic. Magn. I. I illum a Socrate dissentientem, animo in tres illas partes, rationem, iram, cupiditatem descripto, suas cuique parti virtutes attribuisse, ideoque virtutem non in scientia, sed in vi quadam atque robore animi quaesivisse: quod quidem in Phaedro maxime atque libris de Republica ab eo ita factum esse alibi demonstravimus. Nec vero dubium videtur, quin Plato ipse, quo tempore Euthydemum literis consignavit, ratione illa sua nondum inventa, magistri sententiam adhuc amplexus sit atque tenuerit. Ex quo quid de tempore, quo liber scriptus sit, probabiliter colligere liceat, nemo erit quin protenus animadvertat. Sed nolumus hic occupare quae postea suo loco tractanda erunt accuratius. Redimus ad Socratis cum sophistis disputationem.

Hic igitur proposito illo disputationis exemplo argutos istos disputatores, quibuscum disserit, modeste rogat, ut aut idem argumentum tractent artificiosius, aut persequentes illud ulterius adolescentulo iam ostendant, omnesne artes ac disciplinae discendae sint, quibus ad sapientiam et felicitatem perveniatur, an una aliqua ad eam consequendam suffectura videatur. — At enim vero tantum abest, hi ut eius desiderio satisfaciant, ut rursus pro more suo mirifice argutari et hallucinari incipiant. Nam finita Socratis oratione Dionysodorus, Vultis igitur, inquit, Cliniam fieri sapientem; ergo optatis, ut misellus homo fiat alius atque nunc est, ideoque penitus perdat; nam perdere est efficere, ut qui nunc est, non amplius idem sit *). Quibus verbis indignatus Ctesippus, Cliniae amator, sophistam graviter increpat eumque ait mentiri impudentissime. Quod ipsum arripens Euthydemus fieri posse negat, ut quisquam mentiatur. Qui enim mentitur, inquit, is dicit quod non est; sed quae non sunt, ea ne dici quidem possunt; ex

*) P. 282. E. — 283. D.

quo consequitur, ut omnis tollatur mentiendi facultas. Acute quidem ad haec Ctesippus respondet, qui mentitur, eum res aliter dicere se habere atque revera comparatae sint. Sed Dionysodorus rursus eius sententiam fraudulentè pervertens: Ergone te censes, inquit, de rebus omnibus dicendum esse prouti ipsae comparatae sint, hoc est, de malis male, de bonis bene, de calidis calide, de frigidis frigide? Istud quidem dici non potest quam absurde ita statuatur *). — Hic quum inter Ctesippum et Dionysodorum acrior rixa et contentio oriatur, Socrates pugnam istiusmodi prohibeturus iocose adolescentem admonet, facile istud, quod sophistae dixerint, tolerandum fore, si modo illi ita homines sciant perdere, ut è malis fiant sapientes. Quod si sic habeat, semet ipsum ait non esse recusaturum, quia in se tantquam vili corpore rei periculum capiatur. Nec vero concedit Ctesippus se Dionysodoro fuisse iratum; hunc tamen ideo reprehendit, quia non possit ferre dissentientem. Quid igitur tum? Nimirum postremum hoc verbum Dionysodorus rursus cupide arripit, ut novas geras tricasque in medium afferat. Negat enim fieri unquam posse, ut quis ab altero dissentiat et contra eum dicat. Quod quidem probaturus hac utitur argumentatione. Si nihil quidquam, inquit, negari posse antea recte statuimus, consentaneum est ne dicere quidem cuiquam contra quenquam licere. Iam vero ii, qui rem quampiam accurate cognitam et exploratam habent, haudquaquam inter ipsos dissentient. Qui autem eandem non habent perspectam, nullo modo de eadem re loquuntur, ut inter eos nulla locum habeat sententiarum controversia. Ex quo consequitur, ut nulla prorsus reperiat iudiciorum dissensio **). Ctesippo iam tandem tacente Socrates rursus suscipit sermonem. Monet enim hanc rationem iam olim Protagorae aliisque placuisse, videlicet ita tecte significans, unde homines istud tam praeclarum inventum repetierint; deinde autem id agit, ut eos suis ipsorum laqueis irretiat. Disputat igitur in hunc fere modum. Si nemo, inquit, falsa dicere unquam potest, videmur ne opinari quidem falsa posse. Sublatis autem

*) Usque ad p. 284. E.

**) Usque ad p. 286. H.

falsis opinionibus, nec insipientia erit ulla nec reperientur insipientes. Insipientia autem remota sequitur, ut semper recte agamus nec unquam a vero aberremus. Quod si ita est, haud sane intelligitur, qui vobis in mentem venire queat vos sapientiae et virtutis magistros profiteri *). — Sentiens iam sophista, quorsum ista argumentatio evaserit, protenus callido utitur artificio, quo eam totam eludat. Graviter enim Socratem vituperat, quod proferat adeo antiqua, videlicet iam virtutis memoret disciplinam, quam eristici antea erant professi, neque in praesenti materia subsistat. Hoc autem eum ideo facere iudicat, quia non habere videatur, quid iis faciat, quae nunc ab ipso dicta sint. Callide igitur isto modo loquitur, ne dissentienti refutandique vocabulo utens ipse refutetur. Verum Socrates istam odortus calliditatem statim urget ac premit istud non habere quid faciat. Hoc enim arbitratur nihil aliud sibi velle (*επινοεῖν*), quam non posse refutare. At vero errore sublato consequens esse, ut ne refutationi quidem locus sit. Ita igitur sophista in extremas compellitur angustias. Sed quid ille? Nimirum ut captiosae conclusioni elabatur, relicta praesenti materia carpit illud ipsum, quo Socrates usus erat, nihil aliud sibi velle, quod inepte et absurde dici arguit, quia vocabula careant sensu et ratione. Verum Socrates rursus ipsius sophistae adhibens conclusiunculas, sive recte loquutus sit, sive non recte, nullo modo fieri posse contendit, ut erroris vincatur **).

Frustra per hanc sermonis partem certum aliquem anquiras sententiarum et argumentationum ordinem; nam sophistae desultoria levitate adeo incerta via vagantur et oberrant, ut quaecunque argutiarum et praestigiarum ostentationi aliquo modo inservire possint, ea arripiant cupidissime et ad alios fallendos decipiendosque studiose adhibeant. Nec tamen existimare licet ista omnia temere ita apud Platonem instituta esse. Nam quemadmodum antea luculento exemplo demonstratum est, quid sit illud, in quo Socratis disputatio versari soleat, et quam longe ea hoc nomine a sophistarum opinionibus

*) Usque ad p. 287. A.

**) Usque ad p. 288. A.

recedat, ita hic ostenditur, accuratam istam notionum pervestigationem, qua Socratica utatur ratio, etiam eo valere, ut fallaces et captiosae eristicorum conclusionumculae in sermonibus et detegantur facillime et gravissime coarguantur. Quod si tenuerimus, nihil erit profecto, quod in hoc loco haereamus, praesertim quum Plato id egerit, ut sophisticas cavillationes quasi spectandas omnibus proponeret propositasque exagitaret et perstringeret. Quanquam philosophus committere noluit, ut unice nugis illis explodendis operam studiumque suum consumsisse videretur. Prudentissime enim hanc nugarum censuram egit ita, ut simul nobilissima illa Gorgiae et Protagorae *) placita de tollenda mentiendi, opinandi et dissentendi facultate examinaverit et penitus relutaverit. Quod quidem ne quis parum opportune ab eo factum esse opinetur, recordandum est, videri eos ipsos homines, quibuscum Socrates disserit, e Protagorae disciplina et institutione profectos esse, ut haec quoque artificiosissime cum reliqua disputatione connexa esse atque copulata clarissime appareat.

Posteaquam autem sophistae in maximam consilii inopiam coniecti sunt, Ctesippus, ut est homo paulo calidior, acriter in eos invehitur, quippe quos ineptissima quaeque et absurdissima prolicere non puduerit, Socrates autem scita cum urbanitate idem ei respondet, quod antea Cliniae, videri homines nunc quidem ludere et iocari, mox tamen id fortasse acturos, ut disputent serio atque graviter. Quocirca nihil censet intentatum esse relinquendum, quo tandem eo perducantur, ut reconditas sapientiae suae copias explicare velint. Quid quod iis iam alio etiam exemplo ostendere instituit, ad quam normam disputationis cursum dirigendum arbitretur. **) Pergit igitur una cum Clinia de argumento,

*) Nam veteres illi sophistae et cum iis Antisthenes, Gorgiae discipulus, id agebant sedulo, ut falsum, i. e. non ens, ne dici quidem posse evincerent. Ex quo consequeretur, ut nec mentiri quisquam nec contra aliquid dicere posse videretur. v. Aristot. *Metaphys.* IV, p. 119. Brand. et Isocrat. *Encom. Helen.* p. 231 sq. coll. Plat. *Sophist.* p. 237. A. 260. C. *Cratyl.* p. 385. E. p. 429. D. sqq. *Theaet.* p. 167. D. p. 187 sqq.

**) P. 288. D.

quod attigerat in superioribus, explicare, ita quidem ut vel adolescens multa prudenter animadvertat.

Convenit ergo inter nos, inquit, scientiam esse expetendam, ideoque etiam philosophandum, siquidem philosophia nihil est aliud, nisi scientiae studium. Sed illud est valde dubium atque incertum, quaenam potissimum scientia studiis nostris expetenda sit. Videtur tamen talis esse debere, quae nobis aliquem utilitatis fructum largiatur. Quanquam non omnis scientia, quae est utilis, protenus etiam ideo maxime exoptanda est. Nam quae artes ac disciplinae efficiunt quidem aliquid, nec tamen sapientem demonstrant rei effectus usum, eae ad plenam consummatamque felicitatem non satis valent. Quocirca ea investiganda erit scientia, quae et rerum utilium sit effectrix quaedam, et earumdem usum prudenter edoceat. Itaque nec ars citharas aut tibias fabricandi, nec orationes scribendi sollertia, qua multi temere superbiunt, nec scientia rei militaris hic in censum veniunt, quae artes omnes usum habent ab operis effectione sciunctum. Quid vero? afferatne fortasse ars regia sive civilis istam, quam quaerimus, scientiam? Nam haec quia omnes ac singulas reipublicae partes complectitur, profecto alicui videatur ceterarum artium omnium utilitates in se comprehendere. At enim vero non recte statuunt, si qui ita iudicant. Nam quaerentibus nobis atque investigantibus, quid tandem sit quod per eam efficiatur, nihil sane reperietur, quod sibi tantquam proprium opus vindicare possit. Divitiae enim, opes, auctoritas, securitas atque id genus alia, etiamsi arte regia effici videantur, tamen nostro ipsorum iudicio per se spectata neque in bonis neque in malis ducenda sunt, quum in bonis nihil possit numerari, nisi quod habeat certam scientiam. Itaque ambigere profecto licebit, qualem tandem scientiam ars regia sive civilis sibi vindicet. Et facile quidem aliquis in eam deveniat opinionem, ut eam censeat eo pertinere, ut alios bonos et utiles reddere possimus. Sed magnopere vereor, ne hoc quoque parum accurate ita statuatur. Nam hic rursus novae oboriuntur difficultates, siquidem denno quaerere licebit, quidnam sit istud ipsum, in quo illi boni et utiles evasuri sint. Ac si quis forte respondeat eos utiles esse ad id, ut alii item per eos boni fiant, continuo eadem recurret dubitatio, ut profecto nullus futurus sit ambigendi atque dubitandi finis.

His ita explicatis Socrates magnam simulat consilii inopiam, ideoque hospites vehementer rogat, ut suam de hac re sententiam candide proponere ne dubitent*).

Docere Socrates atque affirmare solebat, ut antea vidimus, scientiam illam, qua virtutem omnem contineri volebat, positam esse in honesti cognitione atque certa persuasione officii. Verum ea viri sententia quominus recte ab omnibus perciperetur, communis aequalium error lateque propagatus impediabat. Qui quum virtutem referrent ad commoda et utilitates, ne suspicabantur quidem, qualis tandem esset illa scientia, quam Socrates ad virtutem requireret. Id quod vel Xenophonti accidisse novimus, cuius ingenium quum magis ad ipsam actionem quam ad intelligendi subtilitatem esset a natura comparatum, factum est, ut quam Socrates diceret scientiam, eam communem hominum opinionem sequatus prudentem rerum utilium et inutilium deliberationem interpretaretur**). Itaque mirandum non est, quod Socrates apud Platonem saepenumero ita disserens introducitur, ut hoc decreto suo callide celato ad sophistas aliosque id genus homines ludificandos utatur, id quod in Prolegomenis ad Lachetem et Charmidem perspicue docuisse videmur. Atque huius rei observatio dici non potest quantum valeat ad rectam huius loci interpretationem, quem qui rite explanaret, nemo dum repertus est. Cavendum enim est magnopere, ne quae hic a Socrate disputantur, pro ipsius decretis habeamus***): sunt enim omnia ad mentem sophistarum disputata, quos ille reprehensis eorum opinionibus sperat eo adductum iri, ut gravem prudentemque earum defensionem suscipiant. Itaque primum quidem more sophistarum virtutis scientia refertur ad utilitatem. Deinde

*) P. 288. D. — 293. A.

***) Praeclare hoc docuit Dissenius Disp. De philosophia morali in Xenophonti de Socrate commentariis tradita. Götting. 1812. 4. Quomodo quae a Xenophonte traduntur ad normam eorum, quae Plato et Aristoteles narrant, exigenda et iudicanda sint, prorsus egregie exposuit Brandis Mus. Rhenan. V. I. p. 123 sqq. p. 134 sqq.

****) Hoc accidit Fr. Astio De Vita et Scriptis Plat. p. 416. et Schleiermachers Praef. ad h. l.

varia illius genera perpenduntur et examinantur, ita quidem, ut utilissimam eam fore scientiam statuatur, quae et rerum utilium effectrix sit, et prudentem earundem usum demonstret. Quae sententia a quibusdam profecta sit, etsi non exploratum habemus, tamen scholae illi, cui Euthydemus et Dionysodorus addicti fuerunt, propriam fuisse non temere suspiceris. Tum ad hanc ipsam normam, hoc est, ad eorum consuetudinem, qui omnia referebant ad utilitatem, singulae quaedam artes iudicantur, atque oblata opportunitate severa agitur censura et de rei militaris scientia, quam scilicet *ὀπλομάχοι* illi profitebantur, et de forensium orationum scriptione, qua multos adeo se iactasse, ut prae ista scilicet arte sua totam philosophiam contemnerent, et hoc loco significatur et ex postrema sermonis parte perspicuum est. Denique quid de arte regia sive civili statuendum sit, subtiliter exploratur. Qui locus profecto miramur quod nulli interpretum singulari quadam animadversione dignus iudicatus est. Nam quaerendum sane hic illud venit, quid tandem sit, cur artem regiam ad virtutis possessionem parum aut nihil valere tam copiose ostendatur. Et nos quidem non dubitamus, quin totus hic locus ad explodendam Protagorae sententiam pertineat, qui virtutis disciplinam omnem ad *τὴν πολιτικὴν* sive *βασιλικὴν τέχνην* revocasse videtur. Cuius rei testem habemus locupletissimum ipsum Platonem, qui in dialogo Protagorae nomine inscripto hunc sophistam ita disserentem facit, ut virtutem statuatur totam contineri eo, ut quis rei et domesticae et publicae recte consulat*), adeoque eam hominibus censeat ideo tributam a diis esse, ut propulsandis malis et iniuriis civilis societatis securitatem tueri et conservare possent**). Sed dignus est qui totus adscribatur ille Platonis locus p. 322. B sqq. ubi Protagoras inter alia: *καὶ ἡ δημιουργικὴ τέχνη αὐτοῖς (hominibus) πρὸς μὲν τροφὴν ἰκανὴ βοηθὸς ἦν, πρὸς δὲ τὸν θηρίων πόλεμον ἐνδεὴς· πολιτικὴν γὰρ τέχνην οὐπω εἶχον, ἧς μέρος πολεμικὴ· ἐζητοῦν δὲ ἀθροίσσθαι καὶ σώζεσθαι κτίζοντες πόλεις. οὗ οὖν ἀθροισθοῖεν, ἠδίκουσι ἀλλήλους ἀτε οὐκ ἔχοντες τὴν πολι-*

*) P. 318. E sqq.

***) P. 322. sqq. coll. p. 327. C. et conf. quae Schleiermachers p. 233. de ea re monuit.

τιζήν τέχνην, ὥστε πάλιν διασκευανόμενοι διε-
φθειρόντο. Ζεὺς οὖν δέσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν, μὴ
ἀπόλοιτο πᾶν, Ἐρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους
αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν' εἰεν πόλεων κόσμοι τε καὶ
δεσμοὶ φιλίας συναγωγοὶ κ. τ. λ.; ad quem locum vide
quae olim commentati sumus. Apparet igitur opinor, ex
his verbis satis dilucide, illam ipsam hic informari ar-
tem regiam, cuius in Euthydemo ab Socrate mentio in-
iecta est*). Enimvero est haec profecto ea disciplina,
qua sophista statuebat effici posse virtutem, quam dicti-
tabat, hoc est prudentiam et domesticam et civilem.
Nam hanc unam eum nomine virtutis significavisse, cer-
tissime intelligitur ex eius professione Protagor. p. 316.
C p. 318. B sqq., ubi inter alia de arte sua haec prae-
dicat: τὸ δὲ μάθημά ἐστιν εὐβουλία περὶ τε τῶν
οἰκείων, ὅπως ἂν ἀρίστα τὴν αὐτοῦ οἰκίαν διοικοῖ,
καὶ περὶ τῶν τῆς πόλεως, ὅπως τὰ τῆς πόλεως
δυνατώτατος ἂν εἴη καὶ πράττειν καὶ λέγειν. Qui-
buscum componas illa Menon. p. 91. A. οὗτος γὰρ πά-
λαι λέγει πρὸς με, ὅτι ἐπιθυμῆι ταύτης τῆς σοφίας
καὶ ἀρετῆς, ἣ οἱ ἄνθρωποι τὰς τε οἰκίας καὶ τὰς
πόλεις καλῶς διοικοῦσι καὶ τοὺς γονέας τοὺς αὐ-
τῶν θεραπεύουσι καὶ πολίτας ξένους ὑποδέξασθαι τε
καὶ ἀποπέμψαι ἐπίστανται ἀξίως ἀνδρὸς ἀγαθοῦ.
ταύτην οὖν τὴν ἀρετὴν σκοπεῖ, παρὰ τίνας ἂν πέμ-
ποντες αὐτὸν ὁρθῶς πέμπομεν. ubi postea adiiciuntur
haec: οἶδα γὰρ ἓνα ἄνδρα Πρωταγόραν πλεῖω χρή-
ματα κτησάμενον ἀπὸ ταύτης τῆς σοφίας ἢ Φειδίαν
τε — καὶ ἄλλους δέκα τῶν ἀνδριαντοποιῶν. Theaet.
p. 172. A. His igitur omnibus perpensis dubium non
videtur, quin in Euthydemo regiae scientiae mentio ideo

*) Longe alia de hac re sententia fuit Schleiermachi
Praefat. ad Cratyl. p. 18. ita scribentis: „Die im Euthy-
demus erwähnte königliche Kunst kann nur das
Gute schlechthin zum Gegenstande haben, als
das um sein selbst willen seiende in der identi-
tät des Gebrauchs und der Hervorbringung; alle
andern einseitig nur hervorbringenden oder
gebrauchenden Künste aber sind lediglich ihre
Organe und Untergebenen.“ Nimirum is huius loci
non satis accurate videtur meminisse: nam alias certe artis
regiae notionem longe aliam nunc informari facile perspexisset.

iniiciatur, ut Protagorae de ea sententia ad ipsorum so-
phistarum normam exacta iudicetur atque reprehendatur.
Hoc autem quis est qui sibi persuadeat Platonem ita
instituturum fuisse, si Euthydemo et Dionysodoro nihil
cum sophista celeberrimo fuisset commercii? Nimirum
hoc si nullum fuisset, ista sane nihil prorsus ad sophi-
stas pertinerent. Nunc vero sollertissima cum arte et
Protagorae doctrina videtur corripri, et sophistae repre-
hensione eius ad subtiliorem rei disputationem excitari
atque provocari, nihil ut ad rerum perspicuitatem et ad
artis elegantiam toto hoc loco desideretur. Sed his
explicatis reverti placet ad persequendum sermonis or-
dinem et progressum.

Quod igitur speraverat Socrates hac disputatione
sua effectum iri, ut sophistae tandem ab argutarum con-
clusionuncularum ostentatione ad severam gravemque dis-
serendi rationem traducerentur, id tantum abest ut ra-
tum fiat, ut alia omnia eveniant. Vix enim ille disputa-
tionem suam finivit, quum viri quamvis ad Protagorae
magistri atque ipsorum decreta defendenda provocati,
tamen rursus eum novis argutiis adoriuntur. Nam Eu-
thydemus illis auditis: Quid, inquit, o Socrate? Utrum
te hanc quam quaeris scientiam nunc doceam, an vis ut
demonstrem iam dudum te ea fuisse ornatum et instru-
ctum? Optione relicta posterius efficere conatur. Qui
scit aliquid, inquit, is scientiam habet; qui habet scien-
tiam, quia simul idem esse atque non esse nequit, scien-
tia est praeditus; qui autem scientia praeditus est, cum
omnia scire consequitur, quoniam, si quid ignoraret, si-
mul scientia foret destitutus; quod fieri non posse ex
superioribus est perspicuum. Igitur tu, o Socrate, quo-
niam omnia novisti, ne illud quidem ignoras, quod te
scire avere significavisti.

Prudenter atque callide sophista hac utitur argu-
mentatione, quae et ipsa ex Protagorae deprompta do-
ctrina est, cuius rationem a Socrate reprehendi sensisset.
Protagoras enim quum hominem vellet mensuram
rerum esse omnium*), ideoque qualia cuique videren-

*) V. de hac viri sententia quae affert Menagius ad Diog.
Laert. IX. 51. et quae ipsi ad Cratyl. p. 385. E. dedimus.
Plat. Opp. Vol. VI. Sect. I. 3

tur, talia ei esse, omnia visa atque opiniones pro veris habuit: sensus enim cuiusque rei ex eius sententia semper est, neque is unquam falsus, ut quo ipsa scientia contineatur. Ex quo philosophus etiam hoc consequi voluit, neminem simul aliquid posse et scire et ignorare, imo vero quemque semper scire omnia, nunquam falsa opinari *). Ex quo clarum fore putamus, quo iure hanc conclusiunculam Euthydemii e Protagorae placitis derivatam esse censuerimus.

Frustra autem Socrates sophistae opponit hoc, quod sibi non omnia, sed aliqua tantum scire videatur. Enimvero acerrimi disputatores, ne scilicet denuo possint coargui et refutari, hanc ei iam praescribunt disputandi legem atque normam, ut simpliciter vel aiat vel neget, nihil quidquam addat de suo. Quocirca ei nihil relinquitur nisi hoc, ut eos vicissim captiosa argumentatione irretire studeat. Quaerit igitur ex iis, num ipsi, quia aliqua scientiam, etiam ceterarum rerum omnium scientiam teneant. Quod quoniam negare non possunt, nisi parum constanter disputare videri velint; facili negotio eo rediguntur, ut absurdissima quaeque concedere cogantur **).

Ita igitur hic rursus eadem opera et Protagorae sententia refellitur et sophistarum carpitur disserendi ratio, ita quidem, ut more Socratico rerum notiones subtilius discernantur. Nimirum quod isti volebant quemque semper omnia scire, quia quale quidque cuique appareret, tale etiam esset, in eo Socrates atque Plato facile pervidebant magnum inesse opinionis errorem, si quidem ita consequeretur, quod nemo temere concesserit, neminem unquam cuiusquam rei esse inscium vel imperitum.

Sed vel adolescens Ctesippus apud Platonem quam inanitas ea sit ratio facili negotio perspicit. Quocirca sophistas, ut est petulans atque protervus, ioculari petitiu irrisione, hominesque vetulos et edentulos facete rogat, ut uterque dicat, quot alter habeat dentes. Quo fit, ut illi perridicula ratione in consilii inopiam coniciantur.

*) v. Ritteri *Hist. Philosoph.* Tom. I, p. 601 sq.

***) Usque ad p. 294. B.

Nihilominus autem Euthydemus, miro illius placiti amore captus, alia argumentatione evincere conatur, etiam Socratem omnia, et quidem semper scire. Hic enim posteaquam se aliqua novisse largitus est, ille argumentum hunc in modum concludit: Qui scit aliquid, inquit, per aliquid illud sciat necesse est; scit vero omnia semper uno et eodem, neque alio atque alio: ex quo consequitur, ut quicumque aliquid sciat, is omnia et quidem semper scire existimandus sit. Non praeterit Socratem, quid sit in quo argumentationis fallacia lateat. Quocirca respondet mente se tenere scientiam, neque omnia, sed ea tantum, quae sciat. Sed sophista iterum clamitat disputandi legibus adversari, quod plus responderit, quam sit interrogatus ideoque admiscuerit ea, quae extra causam esse videantur *). Quocirca Socrates voluntati eorum morigerari coactus propositam argumentationem alia ex parte adoritur. Quaerit enim ex iis, utrum ipse sciat bonos viros iniustos esse, an id nesciat. Respondet Dionysodorus cum id sane ignorare, videlicet imprudenter concedens Socratem huius sententiae veritatem impugnare solitum esse. Iam vero hic protenus inde colligit, quod cum virorum ratione pugnat mirifice, se non omnia scire **), eaque conclusiuncula homines vanissimos satis acriter pungit, ut hoc quoque exemplo pateat, quanto sit praestabilior Socratica disputandi ratio critica ista sophistarum, quae a Protagorae profecta doctrina, quum neglecta distinguendi definiendique sollertia fallaces et argutas conclusiunculas venaretur, neque ad verum exquirendum valebat, et suam quasi vim ipsa constringebat.

Sed quanquam homines vanissimi iterum iterumque sunt confutati, tamen ne ad silentium redacti videantur, novis argutiis viam sibi muniunt ad persequendam disputationem. Quae quidem libri pars quanquam veluti per saturam accessit, tamen haudquaquam temere adiecta est. Quum enim iam tandem argutiae sophistarum exceptis paucis quibusdam locis, in quibus graviora attinguntur decreta, ad ignobilem fere puerilemque lusum deducantur, ex eo vel maxime intelligitur, quousque

*) Usque ad p. 296. E.

***) P. 297. A.

praestigiarum ista scilicet philosophia ex Protagorae oratione processerit. Praeterea etiam Ctesippi adolescentis exemplo demonstratur, quam non sit difficile talia disputandi artificia addiscere et callere, ita ut clarissime tandem intelligatur totam istam artem nihil habere reconditi, sed unice fere *ἀλόγῳ τινὶ τοιβῆ*, ut alibi ait Plato, contineri.

Posteaquam igitur Socrates, absoluta superiore argumentatione, Euthydemum interrogavit, num ipsi frater recte iudicasse videatur, protenus Dionysodorus, fratris nomine audito, quaerit, num ipsum putet Euthydemum fratrem esse. Ita igitur hic praesenti materia relicta temere ad alia omnia transgreditur. Nec vero Socrates ad hanc quaestionem prius vult respondere, quam Euthydemus de re modo disceptata suum iudicium interposuerit. Sed ubi Dionysodorus de hac eius tergiversatione et cunctatione graviter queritur, ille facete et urbane se non sine causa ait cunctari, quandoquidem sibi cum duobus sophistis pugnandum sit, et Patrocles suus, qui Iolai partes sustinere queat, si auxilio veniat, haud dubie rem etiam peiorem sit redditurus. Nimirum ita et communis fratrum istorum carpitur pugna, et Patroclis, hominis, ut videtur, ad disputandum parum idonei, inscitia et inertia facete traducitur. Quod cur ita fiat, etsi haudquaquam exploratum habemus, tamen non inepte suspicaris Patroclum istum vulgo ludibrio habitum esse, ut nunc ipse Socrates in hoc sermone, in quo omnia comicam spirant hilaritatem, aliorum imitatus morem et consuetudinem eum non sine cavillatione commemoret adeoque sophistas acerbissime risurus cum altero eorum comparat. Sed istud utcumque sese habet, Euthydemus quidem, Patroclis istius iniecta mentione, priorem quaestionem, sed leviter immutatam illam, denuo repetit. Interrogat enim, num Patrocles ille, quem Iolaum suum appellaverit, sit fratris filius. Negat hoc Socrates eumque fratrem ex matre ait esse, qui patre utatur Chaeredemo, diverso illo a Sophronisco, quem ipse patrem habeat. Hoc vero responso utens sophista: Ergo, inquit, Chaeredemus est alius quam pater, ideoque non est pater; eademque Sophronisci ratio est, ut adeo tu patre careas.

Ducta haec argumentatio ex eo est, quod statuitur, idem praedicatum, quod vocant, non posse pluribus at-

tribui rebus vel hominibus. Etenim illa aetate fuisse constat, qui suam cuique rei proprietatem esse statuerent ideoque praedicati et subiecti copulationem omnem funditus tollerent. Quam sententiam postea temporis maxime a Stilpone fuisse exornatam auctor est Plutarch. adv. Colot. p. 1119. c. s. 22. p. 573. Vol. V. 1. ed. Wyttenb. conf. Deyks De Megaricorum Doctrina p. 83 sq. Sed iam multo ante eam a sophistis defensam et usurpatam fuisse clarissime apparet ex Platonis Sophista p. 251. C. *ὄθεν γε, οἶμαι, τοῖς τε νέοις καὶ τῶν γερόντων τοῖς ὀψιμαθῆσι θοίνην παρεσκευάκαμεν· εὐθύς γὰρ ἀντιλαβέσθαι παντὶ πρόχειρον, ὡς ἀδύνατον τὰ τε πολλὰ ἐν, καὶ τὸ ἐν πολλὰ εἶναι, καὶ δὴ πού χαίρουσιν οὐκ ἔδοντες ἀγαθὸν λέγειν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀγαθόν, τὸν δὲ ἀνθρώπων ἐνθρώπων.* ubi falluntur qui haec volunt ad Anisthenem potissimum reprehendendum dicta esse, veluti Schleiermacherus atque Deyksius l. c. p. 44. Nam nobis quidem plane persuasum est, ibi ipsum Euthydemum ac Dionysodorum significari, quos fuisse *ὀψιμαθῆς* in Euthydemo nostro iterum iterumque non sine acerba quadam irrisione inculcatur, siquidem recte Cicero Epist. Fam. IX. 20. *ὀψιμαθῆς* autem homines scis quam insolentes sint. Idem placitum attingitur etiam Soph. p. 260. A. B. Phileb. p. 14. C. ex quibus locis perspicuum est fuisse illud maxime divulgatum. Duxerat autem, nisi fallor, originem ex Protagorae disciplina. Qui quum doceret omnia esse talia, qualia cuique apparerent, facile potuit accidere, ut qui tricas sectarentur, unamquamque rem semper unam atque simplicem esse exinde colligerent ideoque attributiones rerum omnes repudiarent. Sed quaecumque demum huius sententiae origo est, hoc quidem apertum putamus, Euthydemum et Dionysodorum eam esse amplexatos, quandoquidem Euthydemus argumentatur, patrem, quia a patre alio diversus sit, ipsum patrem esse non posse.

Vix autem haec ita pronuntiavit sophista, quum Ctesippus, ut est protervus et acutus, statim istud scilicet acumen ioculari imitatione ridet. Quaerit enim ex sophistis hoc: Differtne pater vester a meo patre? Quod illi negant, ne scilicet et ipsi patre carere arguantur. Tum adolescens: Hic vero utrum meus unius pater

est, an etiam aliorum? Aiunt illi. Ex qua responsione iam Ctesippus captiose colligit istum esse patrem omnium, simulque concludit futurum ita esse, ut etiam mater sophistarum non modo omnium hominum, sed etiam gobiorum, catulorum, porcellorum, aliorum animalium, parens iudicanda sit. Enimvero huic argumentationi illi ideo non possunt adversari, quia alioquin Ctesippus statim ipsos quoque matre et patre carere conclusurus est. Ita igitur iactabundi disputatores non iam a Socrate, sed ab adolescentulo vix eorum sacris initiato suis ipsorum laqueis irretiti vehementer deluduntur, iacetque decretum illud, ex quo unum idemque praedicatum pluribus tribuere hominibus non licere vulgari eristicorum errore statuebatur.

Veruntamen hic Dionysodorus, ne ambo videantur adolescentulo manus, quod aiunt, dedisse, protenus alias promit argutias. Demonstrare enim conatur, canem esse Ctesippo patrem. Sunt tibi, inquit, catuli, quorum pater est canis; ergo tibi canis pater est, tuque es frater catulorum. Quae argumentatio sicuti vindictae sumendae gratia illata est, ita unde ducat originem, facile intelligitur. Apparet enim eam ex ambiguitate verborum tibi esse atque tuum esse oriri. Addit praeterea sophista Ctesippum ob eam ipsam causam canem verberibus afficientem patrem suum verberare iudicari oportere. Quae conclusiuncula fortasse interposita est a Platone ad ridendos eos, qui iuvenes dicitarent in sophistarum scholis etiam eo adduci, ut parentes suos verberibus afficerent. Cuiusmodi opprobria etiam Socrati fuisse obiecta patet ex Xenophontis Mem. I. 2, 49. Atque tam impius ideo apud Aristophanem Phidippides fingitur. Certe quidem non est verisimile eam sine certa aliqua causa memorari, quum reliqua fere omnia habere videantur, quorsum referri debeant. Iam vero Ctesippus, isto modo graviter lacessitus, reponit malle se patrem sophistarum plectere, qui filios adco sapientes genuerit, a quibus ipse eo honore sit mactatus, ut iam catulorum frater habeatur *).

Acerbissima cum irrisione Ctesippus nunc hoc quo-

*) Usque ad p. 299. A.

que interrogat num pater iste sophistarum catulorumque sapientiae ipsorum boni quid acceptum referat. Cui Euthydemus neque patrem suum nec quenquam alium respondet multis bonis indigere; nam aegrotanti si multa medicamenta et ad bellum proficiscenti si multa arma bona essent, haud dubie etiam futurum, ut quam plurimum medicamentorum et armorum conducere, quum tamen pauca fere satis sint. Itaque hac argumentatione ostenditur, non esse verum quod homines vulgo arbitrentur, quemque eo esse feliciorum, quo plura bona possideat: quemadmodum enim ad sanandos morbos pauca valeant medicamenta, ita ad vitam bene degendam paucis bonis opus esse. Incertum est unde hoc decretum sit repetitum: quanquam fieri potest, ut ipsi fratres illud excogitaverint ad consolandam suam ipsorum paupertatem. Reprehendit autem Ctesippus hanc sophistae argumentationem, Geryonis et Briarei afferens exemplum, qui pluribus certe armis indigerint. Sed hic Dionysodorus: Si bonum est, inquit, aurum habere quam plurimum, profecto ille erit beatissimus, qui tria auri talenta in ventre, unum in capite et in utroque oculo staterem habeat, scilicet habendi vocabulum callide alio sensu ponens, quo magis adolescentem in fraudem inducat. Sed Ctesippus re acute perspecta urbanissimo cum lepore istam sententiam exaggerat, Scythas narrans revera in capitibus suis aurum habere solere, ut qui e craniiis suis auratis bibant atque adeo interiores eorum partes oculis suis introspeciant. Acumen hoc adolescentis elusus Euthydemus protenus aliam in medium affert fallaciam. Interrogat enim perquam ambigue, Scythae alii-que homines num ea videant, quae videre possint. Nam istud quae prouti nominandi vel accusandi casu acceptis, diversa emergit sententia. Affirmante igitur Ctesippo quod erat interrogatum, ille haec: Ergo vestes nostrae, quas tu vides, videndi habent facultatem. Animadvertit Ctesippus verborum lusum, urbaneque sese ait iam eo esse adductum, ut Euthydemus vigilans dormire atque silens loqui posse videatur. Quae ipsa responsio Dionysodoro admodum grata et accepta est: is enim revera disputando efficere studet, ut quis silens loqui possit. Qui ferrum, inquit, aut lignum aut saxum dicit, is certe silens aliquid dicit. Nimirum ita novo artificio grammatico silens ad rem, non ad dicentem refertur. Facete autem ad hoc Ctesippus: Atqui fer-

rum candens, si quis manibus attrectat, profecto stridet atque clamat! Quod certe te non debuit praeterire. Quibus verbis, quae speciem quaedam proverbii referunt, tangere videtur sophistas, qui aliquoties semiambusti evaserint. Nec sine petulantia quaedam iam etiam contrarium vult sibi demonstrari, fieri posse, ut quis dicens aliquid taceat. Quod Euthydemus promptissima voluntate demonstrandum suscipit. Is enim censet eum, qui taceat, omnia tacere: ergo, inquit, omnem rem dicentem taces; unde consequitur, dicentem tacere. Acceptis his argutiis Ctesippus novam sibi opportunitatem oblatam sentit vexandi sophistas. Interrogat igitur eos, taceantne omnia, an omnia loquantur. Ex quibus si alterutrum affirmatur, necessario eventurum est, ut sophistarum argutiae protenus in irritum cadant. Caute igitur et circumspicte Dionysodorus et neutrum et utrumque locum habere ait. Sed Ctesippus non praesentia tantum respiciens, verum etiam superiorum memor, ista ipsorum sophistarum decretis mirum quantum adversari exsultans animadvertit et in multum risum effunditur.*).

Toto hoc loco nemo est quin facile animadvertat omnes istas tricas ex grammaticis artificis et subtilitatibus repetitas esse. Quod et ipsum tale est, ut Protagorae disciplinam redolet. Hunc enim aliunde constat in pervestigandis grammaticis subtilitatibus studiose versatum esse; de qua re explicarunt Spengel. Artium Scriptorr. p. 40 sqq. et Classen De Grammaticae Graecae Primordiis p. 31 sq. Nec dubitari potest quin ipse inventa sua ad disserendi subtilitatem traduxerit in eaque re grammaticis ambiguitatibus sit abusus. Quo nomine multum diversus fuit a Protagora, qui aliud sane consilium in exquirendis vocabulorum discriminibus sequutus est. v. Welcker. in Musco Rhen. Nov. Vol. I. P. I. p. 431 sqq. Quanquam igitur Euthydemus et Dionysodorus talia discere etiam ab aliis potuerunt, tamen quia grammaticas verborum rationes ad disserendi fallaciam atque fraudem transferunt, perquam credibile est eos in ludo Protagorae ad has artes formatos esse et institutos. Ac tanto verisimilior haec coniectura est,

*) Usque ad p. 300.

quod eos etiam in aliis sermonis partibus sophistae illius auctoritatem sequutos esse exploratum habemus.

Sequitur iam rursus repentina ad aliud argumentum transitio. Postquam enim Socrates urbane admonuit Ctesippum, ne de rebus adeo pulcris cachinnum tollat Dionysodorus hunc ingerit syllogismum. Res pulchrae, inquit, etsi ab ipso pulcro diversae sunt, tamen quandam secum habent pulcritudinem. Ergo bovem si tecum habes ipse bovis naturam induis. Nisi forte fieri prorsus non potest, ut quod ab alio quopiam diversum sit id sit illud ipsum, a quo diversum esse iudicetur*).

Apertum esse arbitramur impugnari his verbis Socraticam doctrinam de notionibus generalibus earum que cum rebus individuis necessitudinem, unde Plato notionibus illis μεταφυσικῶς informatis suam de ideis sententiam effinxit. Nam hoc discrimen sane inter Socraticam et vere Platoniam rationem intercedere, quod illa est mere λογική, haec μεταφυσική, claris verbis testatur Aristotel. Metaphys. XIII. 4. coll. I. 6. Quanquam hic quidem Platonem videmus iam suam ipsius sententiam significare, qua rerum vim naturamque ideis contineri statuit. Quocirca illis temporibus, quibus hunc scripsit dialogum, a Socratica notionum pervestigatione iam ulterius processisse videtur ad doctrinam de ideis informandam, quam deinde magis perfecit atque confirmavit. v. Prolegg. ad Cratylum, parte extr. Iam vero magna erat de his rebus Socraticorum et Eristicorum dissensio atque controversia. Illi enim varias notiones inter se coniungi atque copulari posse statuebant, volebantque res singulas sub mentis notitias generaliores subiectas esse; hi autem quoniam istius coniunctionis rationem minime perspiciebant, unamquamque rem censebant suam sibi habere proprietatem eamque ob causam attributionum varietatem aspernari, in eam disputabant sententiam, ut diversa diversis convenire negarent ideoque id, quod de aliqua re praedicaretur, statuerent non in ipsa eius vi et natura esse contentum, sed extrinsecus tanquam alienum quiddam ei admoventi. Nam haec quidem mens et sententia fuisse videtur eorum, qui hoc

*) Pag. 301.

decretum vel invenerunt vel defenderunt. Quanquam existerunt etiam qui eo ad meras cavillationes abuterentur, quidquam praedicari de aliqua re posse praefracte negantes. v. Soph. p. 251. C. Phileb. p. 14. C. quos locos iam supra laudavimus; Aristot. Metaph. IV. 19. p. 119. VII. 3. p. 169. ed. Brand. Et in horum quidem numero etiam Dionysodorus noster habendus est, qui illud secum habere sane pinguius interpretatur. Unde infra p. 303. E sq. ambo sophistae a Socrate suaviter ridentur, quod sublatis rerum attributionibus non alios tantum refellant, sed sibimet ipsis veluti ora consuunt.

Atque his ita explicatis facile etiam hoc intelligitur, quorsum pertineant et quomodo accipienda sint, quae Socrates deinceps disputatione sua persequitur. Is enim iam instituit sophistarum rationem ioculariter imitari ideoque neminem ait dubitare posse, quin idem sit idem, aliud sit aliud, pulcrum sit pulcrum. Etenim ita statuisset qui tollerent vim rationemque praedicatorum, ex loco Sophistae, quem antea memoravi, perspicuum est. conf. Aristot. Elenchi Sophist. XVII. 5. Simplic. ad Arist. Physic. fol. 26. Sophistas autem ait hanc pusillam rem haecenus neglexisse; nam alias eos praeclaros sane sermones elaborare, quemadmodum perfectis artificibus conveniat.

Postremis verbis sophistae denuo utuntur ad novas argutias captandas, nondum vanissimi artificii taedio capti. Imo eas adeo acervant atque cumulant, ut Socrates, ubi tandem eo redactus est, ut Iovem ceterosque deos suos vendere et mactare velle videatur, una cum Ctesippo tanquam nugis istis confectus exclamet: Eheu, iam satis est; isti quidem viri invicti sunt *). Ita igitur istud argutandi certamen finitur non sine magno plausu audientium, qui sollertiam scilicet istam sophistarum vehementer admirantur.

Absolvimus tandem eam disputationis partem, quae contortorum et aculeatorum sophismatum quasi spectaculum quoddam exhibet. In qua tractanda et elaboranda quam sapienter Plato versatus sit, nunc omnibus eviden-

*) P. 303. A.

ter apparere putamus. Dum enim philosophus eristicae vanitatem egregie coarguit, simul etiam id egit, ut opinioniones quasdam sophistarum, illa aetate admodum divulgatas atque celebratas, quae quidem pro fonte eristicae poterant haberi, et examinarentur subtilius et vero etiam refutarentur. Quod quia fit ope Socraticae dialectices, quae rerum notiones subtiliter rimatur, una opera etiam id efficitur, ut huius ipsius virtus et praestantia in clara luce collocetur. Quod autem illud argutandi rixandique certamen adeo protrahitur nec citius finitur, id neminem futurum putamus, qui re diligentius pensitata temere ita institutum esse censeat. Quum enim universa Graecia per argutam istam et fallacem disputandi rationem mirum quantum commota esset plurimique talibus praestigiiis occoecati eius studio navarent operam, id quod frequens docet τῶν ἀντιλογικῶν apud Platonem commemoratio; nullum sane efficacius ac potentius istius vesaniae remedium potuit inveniri, quam quo usus est philosophus. Nam consignatis fallaciarum exemplis et tanquam in tabula ob oculos positis multo erat facilius de iis iudicium; in quo quantopere aequales fluctuaverint, vel illud argumento est, quod postea Stagirites easdem fere conclusiones et argumentationes, quas Plato in Euthydemo risit, non indignas habuit subtiliore examine, et quod senex Isocrates in eristicorum nationem saepissime acerbè invehitur. Quocirca equidem in ea sententia sum, ut per totam hanc sermonis partem nihil reperiri putem, quod Platonis ingenio atque arte indignum videatur.

His omnibus vero dialogo extremo egregia subiungitur Socratis oratio, qua quid in universum de ista deserendi ratione statuendum sit, praeclara cum sophistarum irrisione exponitur. Finito enim cum illis colloquio Socrates se quoque simulat magna tantae sapientiae admiratione repletum esse, atque eos hac oratione compellat: O vos beatos, inquit, qui tam brevi tempore ad tantam sapientiae praestantiam et magnitudinem perveneritis. Enimvero ars vestra quum multa praeclara habeat, tum illud est in ea longe praestantissimum, quod fere homines vestri similes curatis, graves et cordatos viros negligitis. Ego enim mihi penitus persuasi istiusmodi sermones paucis probatum iri; plerisque certe ita esse displicituros, ut iis malint ipsi confutari quam alios refellere.

Praeterea illud quoque valde est populare et humanum, quod sublatis rerum attributionibus non modo alios refellit, sed vestra ipsorum ora quasi consuitis. Nempe ita sane nullo negotio tollitur invidia, quam vestra professio facile possit excitare. Denique artificium istud adeo a vobis subtiliter, adeo prudenter atque callide excogitatum est, ut quivis alius idem illud sit brevissimo temporis spatio percepturus, sicuti vel Ctesippi exemplo perspicitur. Quodsi igitur me auditis, nolite illud saepius coram multis ostentare, ne ei citius omnis novitatis gratia auferatur; sed paucis tantum, qui vobis persolvant institutionis mercedem, impertiat, ea tamen conditione, ut ab his quoque quam maxime celetur et abscondatur. Nam, sicuti est in proverbio, rarissimum quodque carissimum esse solet *).

Haec igitur Socrates, quibus verbis sanequam gravibus et acerbis philosophus noster quid de hoc disserendi genere esset iudicandum tam aperte et perspicue declaravit, ut quorsum tota haec pertineat disputatio, nemini dubium videri queat.

Et hactenus quidem illud potissimum videmus egisse Platonem, ut quantum Socratica dialectica ab inani argutandi consuetudine huic sophistarum generi propria recederet, et quomodo Socrates ipse cum istiusmodi homuncionibus disputare consuevisset, quam clarissime exponeretur. Sequitur ut de postrema sermonis parte explicandum sit, cuius antea significavimus a viris doctis minus diligentem rationem esse habitam; quo ipso evenit, ut de universae descriptionis argumento et proposito minus circumspecte iudicarent. Etenim non hoc tantum spectavit philosophus, ut Socraticae disciplinae a ratione eristicorum differentiam illustraret et patefaceret, sed illud etiam ei fuit propositum, ut philosophiam Socraticam atque ipsum adeo Socratem ab eorum invidia vindicaret, qui eam vel temerario mentis iudicio vel invidiae malignitate ducti misellorum sophistarum gregi adiunxissent et universam sapientiae disciplinam multis suspectam reddidissent. Quod quomodo ab eo institutum sit et perfectum, age nunc paucis dispiciamus.

*) Usque ad p. 304. B.

Absoluta igitur narratione de colloquio ab se cum Euthydemo eiusque fratre habito Socrates iocabundus scilicet Critonem suum denuo adhortatur, ut ipse quoque se hominibus tam sapientibus in disciplinam tradat, quandoquidem neque aetatis neque vitae ratio ullo modo sit prohibitura, quominus eorum artem penitus addiscant et percipiant. At vero Crito, ut est simplex atque candidus, missis iocis et dieteriis se ingenue fatetur in eorum numero haberi malle, qui tales sermones contemnant et aversentur, adeoque Socratem leniter reprehendit, quod cum istiusmodi homuncionibus conversari atque disserere non dubitet. Narrat enim eo ipso tempore, quo Socratis cum Euthydemo et Dionysodoro disputatio finita fuerit, scriptorem quendam orationum forensium sibi obviam factum atque graviter conquestum esse, quod philosophi tam miseras agerent nugas et perpetuo in rerum inanum tractatione versarentur. Et se quidem ait homini ita respondisse, ut philosophiam debitis ornaverit laudibus. Verum illum nihilominus in sua permansisse sententia, adeoque in Socratem acriter esse invecutum, quod iis hominibus sui copiam faceret, qui nec suas ipsorum sententias rite perpenderent et aliorum verba calumniarentur miserrime. Denique illum narrat et universam philosophiam rem turpissimam iudicavisse, et homines eius studiosos sanequam dignos habuisse, quibus ignominiae nota inureretur. Monet igitur Crito amicum benevole, ut in posterum istiusmodi hominum consuetudinem et familiaritatem vitare studeat, ne ipsa quoque philosophia, quae certe per se talem reprehensionem non commereatur, in invidiam hominum et contemptum adducatur. Hic vero Socrates: Nempe loqueris, opinor, de uno ex iis, qui et rempublicam attingunt mediocriter et leviter gustant philosophiam. Isti vero homunciones solent ingenti quadam sapientiae opinione inlati esse; ex quo evenit, ut omnibus philosophis sine discrimine infensi sint. Putant enim, si quando ab his insipientiae coarguantur, suam agi auctoritatem atque bonam existimationem, eiusque rei culpam in Euthydemum scilicet disciplinam, quam omnibus philosophis communem esse voluit, conferre non dubitant. Verum ignoscenda iis haec iniuria est, quum et viris civilibus sint inferiores nec de tota causa recte et prudenter iudicare possint. Sunt enim semidocti. Fatetur tamen Crito se de filiorum suorum educatione non mediocriter

esse sollicitum, quandoquidem eos intuens, qui se virtutis magistros profiteantur, quid de sapientiae disciplina sentiendum sit, valde incertus haereat. Hic vero Socrates: O bone Crito, inquit, in omni artium genere pauci reperiuntur idonei artifices, neque profecto mirandum est, si idem accidit in philosophia. Itaque contemptis et neglectis malis unos bonos sectari decet ac potius res ipsas, quam homines, respectare. Quodsi igitur philosophia res turpis est et inhonesta, age desere eam et contemne; sin autem est bona et laudabilis, quum ipse eius studia strenue perseguere, tum filios tuos ea erudiendos curare ne dubita*).

En habes sermonis finem et exitum, qui si desideraretur, multo incertius de universa descriptione iudicium foret. Nunc quum haec addita legantur, clarissime perspicitur, quare Plato faciendum putaverit, ut et eristicam acerbe perstringeret et Socraticae rationis ac disciplinae virtutes ostenderet. Neque enim cuiquam vel mediocriter attento obscurum esse potest, cum illa reprehensione id consilii esse coniunctum, ut voces eorum coarguantur, qui quum omnem philosophiam tum maxime Socratis philosophandi rationem cum garrula ista atque captiosa sophistica temere confundissent adeoque virum optimum in ignobilis cuiusdam argutiarum studii suspicionem adduxissent. Quid quod vel primarium descriptionis consilium mea quidem sententia in eo cernitur, ut Socratis philosophandi ratio ab eorum calumniis vindicaretur, qui eam tanquam vanam et inanem argutiarum captatricem suspectam reddere conati essent. Nam ita demum perspicitur, quaenam sit singularum libri partium inter ipsas cohaerentia, nihilque animadvertere licet, quod totius descriptionis unitatem ac simplicitatem ullo modo turbare aut penitus tollere videatur.

Quodsi autem quaeris, quinam fuerint maligni illi vel etiam imprudentes Socratis obtrectatores, ab ipso Platone diserte nominantur scriptores orationum forensium (*λογογράφοι*), ex Antiphontis et Gorgiae, ut videtur, disciplina profecti. Certe quidem Antiphon Rhamnusius primus fertur orationes iudiciales scripsisse,

*) Usque ad p. 307. C.

quas litigantibus venderet*). His quid rei cum Platone fuerit, nusquam alibi nisi in Euthydemo et Phaedro perscriptum est. Erant homines leviter philosophiae scientia imbuti, sed iidem, quum scribendo viderentur republicam scilicet tractare, superbi et fastuosi, ex quo explicationem habet, quod Plato eos viris civilibus multum postponendos esse graviter admonuit. Praeterea superciliose contemnebant philosophiam, quam quum solius quaestus gratia attigissent atque insuper usi essent sophistarum institutione, qui se temere virtutis magistros profiterentur, accidit iis fortasse illud, de quo Socrates in Phaedone p. 90. C. *καὶ μάλιστα δὴ οἱ περὶ τοὺς ἀντιλογικῶς λόγους διατριψάντες οἴσθ' ὅτι τελευτῶντες οἴονται σοφώτατοι γεγονέναι καὶ κατανενοημένοι, ὅτι οὔτε τῶν πραγμάτων οὐδενὸς οὐδὲν ὑγιὲς οὐδὲ βέλαιον οὔτε τῶν λόγων ζ. τ. λ.* Huc accedebat, quod quum subinde philosophiae Socraticae sensissent aculeos idque ferrent aegerrime, hanc temere cum sophistarum argutiis confundebant. Et fieri potest, ut Socrati ideo quoque fuerint infesti, quia rhetores omnes cavebant sedulo, ne cum sophistis permutarentur. Ex horum igitur numero unus aliquis apud Platonem fingitur cum Critone durum istud et iniquum quum de omni philosophia tum de Socratis studiis iudicium communicavisse. Qui quidem quisnam fuerit, a viris doctis studiose quaesitum est, irrito sane consilio. Neque enim de certo aliquo oratore cogitandum esse nobis persuasum est, siquidem Plato totam illam fastuosorum scriptorum cohortem notandam atque castigandam iudicavit. Quod cur ita cum Sochero De Scriptis Platon. p. 210. statuamus plures habemus causas, sicut speramus, non ineptas aut leves. Nolumus commemorare neminem unum investigari posse orationum scriptorem, quem Plato praeter ceteros ob oculos habuerit. Nam frustra sunt, qui de Isocrate cogitari voluerunt, ut Heindorfius et Schleiermacherus. Hunc enim vel ideo putamus non posse intelligi, quia is neque a ratione Socratica fuit alienus, et ab ipso Platone Phaedr. p. 279. D. magnis laudibus afficitur. Nec vero Lysiam intelligi probabile est, quamvis ita statuerit Groen van Prin-

*) v. Quintil. Instit. III. 1, 11. Ammian. Marcell. 30. 4. personatus Plutarch. Vitt. Decem Oratorr. p. 307. ed. Reisk.

sterer Prosopograph. Plat. p. 117. Nam Lysias etsi in Phaedro acriter corripitur, quia in scriptionibus eius amatoris omnis desideretur philosophia, tamen non accusatur calumniae, nec vero etiam pro animi sui candore et simplicitate unquam in Socratem iniquus fuit. Tertia est Winckelmanni sententia, qui Prolegg. p. XXXIV sqq. Thrasymachum Chalcedonium significari contendit. At vero istum quidem e primo libro de Republica constat nequam philosophiam pro turpi negotio habuisse, id quod iste orationum scriptor fecisse perhibetur, sed potius ipsum turpiter esse philosophatum. Quarta restat Saupprii sententia in Zimmermanni Museo Stud. Antiquit. a. 1835. N. 50. exposita. Is enim Theodorum Byzantium significari putat, quem Plato Phaedr. p. 266. E. vocat *λογοδαίδαλον*. Quod exinde colligit, quia Euthyd. p. 305. E. verba πάντων ἐξ εἰκότος λόγου ad eum spectare videantur, ut qui in arte sua maxime τὰ εἰκότα tractaverit. v. Spengel. Synagog. p. 98 sqq. At enim vero omnium omnino rhetorum studium inde a Tisia et Corace pertinuisse maxime ad τὰ εἰκότα clarissime apparet ex Phaedro p. 267. A p. 272. D. E., ut unum Theodorum his verbis significari non sit verisimile. Idem iudicandum de verbis Euthydem. p. 304. E. καὶ περὶ οὐδενὸς ἀξίον ἀναξίαν σπουδὴν πεποιμηένον, ubi notatur usus paronomasiae, cui scholam Gorgianam maxime deditam fuisse ex ipso Platone certissime constat. Possum alia etiam afferre, cur non sit credibile Theodorum significari: sed ea tanto rectius silentio prememus, quanto certius iam apparuit magnam esse istius suspicionis levitatem. Quemadmodum vero nemo investigari poterit, quem Plato praeter ceteros notaverit ac reprehenderit, nisi forte volueris homini cuidam docto credere ignotum quandam virum intelligendum iudicanti; ne probabile quidem est certum aliquem illius aetatis scriptorem significari, quum, ut dixi, totum istud vilium scriptorum genus perstringi existimemus. Nam si certus aliquis illorum temporum rhetor significaretur, dubium non est, quin Plato ingenium eius atque mores aliquanto accuratius fuisset adumbraturus. Nunc nihil dixit, quod non in omnes istiusmodi homines conveniat. Ex quo consequens est, ut communes eorum virtutes et vitia uni personae tributae sint, per quam omnes representarentur. Quodsi autem quaeris, cur unus aliquis informetur, cuius imagine

depingantur omnes, eius rei causa in promptu est. Ipsa enim dialogi ratio non ferebat, ut omnes nominarentur, siquidem perabsurdum fuisset, si philosophus totam scriptorum cohortem fecisset audito Socratis cum sophistis colloquio Critoni obviam venientem. Accedit quod haec ratio egregie cum totius libri consilio congruit, quod vidimus eo maxime pertinere, ut Socratica philosophandi consuetudo ab inani sophisticis suspicione vindicaretur ideoque perversa hominum de illa iudicia explodantur. Nam si de uno aliquo forensium oratorum scriptore cogitari oporteret, nihil profecto cogeret, ut etiam reliquos id genus homines carpi stateremus. Quod nunc longe secus est. Quum enim unius illius hominis mores ita informantur, ut ista pictura in ceteros istiusmodi rhetores omnes congruat, facile intelligitur id agi, ut universa fastuosorum et malignorum scriptorum natio corripiatur.

Sed longius etiam procedimus. Putamus enim Platonem dum illorum hominum de Socratica philosophia improbat iudicium, simul etiam reliquos, qui similiter existimavissent, reprehendere et castigare voluisse. Neque enim dubium est, quin alii plurimi, eodem fere modo de Socrate senserint, atque iste forensium orationum scriptor, qui in Euthydemo loquens inducitur. Cuius rei luculentissimum exemplum habemus in Nubibus Aristophanis, in quibus quum omnino sophistarum ineptiae exagitentur, tum Socrates perfectus in iis artifex fuisse fingitur. Nam etsi primarium poetae consilium hoc fuit, ut omnes philosophos traduceret, qui vel inanum rerum perscrutatione vel fallaci et perniciose dialectices et rhetorices exercitatione occuparentur*), profecto tamen non potuit Socratem illorum veluti principem et signiferum facere, nisi ipse eum pro vano inanique sophista habuisset, praesertim quum eo usque processerit, ut eum non modo hominem rerum inanum curiosum, sed etiam insigniter flagitiosum finxerit. Videtur igitur pervulgata fuisse hominum opinio, qua Socratem inter vanos sophistas numerandum esse existimabant**). Perti-

*) De totius fabulae consilio v. Hermann. Praefat. p. XL. ed. sec.

***) V. Xenoph. Mem. I. 6, 15. coll. I. 2, 49 sqq.

net huc illud, quod diligenter animadverti volumus, quod Socrates, sicuti in Platonis Euthydemo cum sophistis disserit rationi Protagorae addictis et ob eam causam a *λογογράφω* isto notatur, ita etiam in Nubibus Aristophanis artificia tractat sophistica e Protagorae disciplina repetita. Ex quo quid colligi de poetae ipsius sententia queat, facile intelligitur. Quemadmodum enim Socrati physicorum tribuit placita, ut quem sciret in iis pervestigandis versatum esse, ita etiam Prodicti, Protagorae, aliorumque sophistarum rationem eidem affinxit, quod illum nec ab his studiis alienum esse existimaret. Nam grammatica Protagorae studia aperte traducuntur loco notissimo v. 632 sqq. et 656 sqq. sicut optime vidit Spengelius *Artium Scriptorr.* p. 43 sq. cui merito assentitur *Classen De Grammaticae Graecae Primordiis* p. 31. Ad eristicam autem viri perstringendam quum alia referuntur, tum manifesto pertinet nobilissimus ille locus v. 111 sqq., ubi iusta et iniusta oratio inter se certant. Id quod iam scholiastes notavit verissime, cuius haec sunt verba: *Ψεύδεται πάντ᾽ αὐτὰ ὁ ποιητὴς, λέγων παρὰ Σωκράτει εἶναι τὸν ἀδίκον λόγον. οὐ γὰρ Σωκράτης, ἀλλὰ Προταγόρας ὁ Ἀθηναῖος ἐξέυρεν αὐτὸν καὶ ἐδίδασκεν.* Et fortasse huc etiam revocanda est τοῦ δῖου commemoratio v. 379 sqq. iniecta. Videtur enim Protagoras Democriti de atomorum concursu doctrinam Athenas pertulisse. Atque hinc explicari poterit etiam illud, de quo post Cousinum, interpretem Gallicum, primus monuit Winckelmannus *Prolegg.* p. XLV sq. quod locis quibusdam Nubium atque Euthydemii singularis quaedam deprehenditur verborum similitudo et convenientia, maxime in usu dictorum iocularium et proverbiorum conspicua. *Conf. Euthyd.* p. 285. C. D. cum *Nubb.* v. 440 sqq. 452 sq. *Euthyd.* p. 277. D. cum *Nubb.* v. 143. E. *Euthyd.* p. 277. D. cum *Nubb.* v. 255. et 633. *Euthyd.* p. 277. E. cum *Nubb.* v. 658. *Euthyd.* p. 301. A. cum *Nubb.* v. 945. et quae praeterea notavit Winckelmannus. Fieri enim potest, ut talia ex ipso Aristophane repetita sint. Quanquam huic rationi non ita multum tribuerim, praesertim quum pleraque omnia ad usum formularum in vita quotidiana tritarum redire videantur. Sed hoc utcumque se habet, illud quidem ex Aristophane pariter atque ipso Platone evidenter apparet, Socratem non tantum ab orationum scriptoribus, sed etiam ab aliis in

vanissimorum sophistarum numero habitum fuisse. Quocirca verisimillimum putamus Platonem in Euthydemo id esse sequutum, ut pravo istorum hominum omnium iudicio occurreret, et quantum ratio disserendi Socratica a vili ista et inani eristica distaret, planissime exponeret.

Verum hic sponte nascitur quaestio perquam gravis atque difficilis. Dubitari enim licet, cur philosophus solos *λογογράφους* nominaverit, aliorum, maxime poetarum comicorum, in iisque Aristophanis, nullam fecerit mentionem, quum tamen hi virum sapientissimum non melius habuissent. De qua re cogitanti mihi atque meditati quid in mentem venerit, paucis exponere iuvat. Et comicos quidem quod non memoravit, licet Aristophanis fabulam atque *Connum Amipsiae* tecte significasse videatur, id sane mirum est, quam eorum crimina eadem opera, qua rhetorum istorum, magnam certe partem diluerit. Quocirca certas quasdam eius rei causas fuisse suspicamur, quae e litterarum monumentis eruendae sunt. Et nos quidem in eam devenimus sententiam, ut eo tempore, quo Plato opera sua literis consignare coepit, a poetis illis nominatimque ab Aristophane magis magisque intellectum esse credamus, quam iniquo et iniusto iudicio virum optimum atque reipublicae amantissimum improbo sophistarum gregi adiunxissent. Quod primus, nisi fallor, sensit Groen van Prinsterer *Prosopograph. Plat.* p. 177., ubi haec scripsit: „Sed sive hoc quis putet (Socratem in iuventute ab opinionibus sophistarum non nimis abhoruisse), sive Aristophanem, qualis Socrates esset, parum novisse, certe non odio habuit, verum potius dilexit, opinor, Socratem, postquam, qui germanus ab ipso sophista inductus esset, hunc sophistarum cognovisset exagitatore acerrimum. Sensit etiam Brandisius et nuper Fritschius *Questionn. Aristophann.* T. I. p. 168 sqq. De Aristophane ut ita statuamus, plura sunt quae vehementer suadeant. Nam primum quidem animum advertit illud, quod poeta post *Nubes* primas *Olymp.* 89. l. s. a. 423. ante Chr. n. in scenam introductas in nulla alia fabula id de industria egit. ut Socratem acerbius traduceret aut carperet vehementius. Quod ille certe studiose agere debuisse videtur, ut

Nubium argumentum, quod spectatoribus non placuisset, civibus iterum iterumque commendaretur. At vero tantum abest, ut poeta postea temporis Socratem rursus tanquam ineptum sophistam perstrinxerit, ut eum in reliquis fabulis bis tantum memoraverit atque alio nomine reprehenderit. Nam in Avibus, quae fabula acta est Olymp. XCI. 2. s. 414. a. Chr. n., v. 1271. et 1541. ed. Dindorf. ei satis leniter immunditiam et squalorem exprobrat. In Ranis autem Olymp. XCIII. 3. s. a. 405. a. Chr. n. commissis v. 1491. eius cum Euripide familiaritatem notavit. Quae quum ita sint, equis est qui sibi persuadeat poetam omnem occasionem traducendi hominis facie et habitu perridiculi et ad risum in scena excitandum ab ipsa natura facti transmissurum fuisse, nisi suum in eum animum mentemque penitus immutavisset? Ad hoc accedit aliud rei argumentum, idque haud paullo gravius. Constat enim hodie certissimis argumentis, poetam etsi Nubes secundis curis recognoscere et emendare instituisset, tamen hanc fabulam non iterum docuisse. Nam falli eos, qui Nubes bis actas esse memoriae prodiderunt, post ea, quae Palmerius Exercitatt. p. 729. et Hermannus Praefat. ad Nubb. p. XIII sqq. ed. sec. exposuerunt, nemo temere dubitabit. Facta est autem vel potius suscepta secunda fabulae recensio Hermanno indice non ante Olymp. 89. 4. Iam vero quid causae esse dicamus, cur poeta secundam fabulae recensionem instituerit, ipsam fabulam abiecerit, certe quidem a scena exulare iusserit? Enimvero ille posteaquam Socratis ingenium, mores et disciplinam rectius aestimare didicisset, non potuit a se impetrare, ut virum innocentissimum denuo risui multitudinis exponeret, ideoque maluit quae scripsisset in scriniis retinere, quam innocentem turpiter laedere. Quae quum ita evenissent, Plato cur Aristophanem in Euthydemo non nominaverit, licet idem argumentum, quod poeta, magna certe ex parte attigerit, in propatulo esse arbitramur.

Neque enim vereor, ne quis dicat priores Nubes fortasse ideo non commemorari, quia aliud argumentum habuerint nec tam ad Socratem quam ad sophistas omnes explodendos pertinuerint. Nam ut partes quaedam aliter fuerint descriptae, atque in superstite fabula, de qua re valde diversae sunt hominum doctorum sententiae *),

*) Alii enim negant praeter parabasis partem v. 514 — 558.

tamen quae ad Socratem spectant, eodem fere modo exposita fuisse non est quod dubitemus. Id quod pluribus argumentis hisque certissimis demonstrari potest. Ante omnia hoc facit illud, quod Aristophanes ipse in Parabasi secundae recensionis v. 513. et Vespar. v. 1050 — 60. Nubium fabulam tanquam omnium, quas fecerit, praestantissimam dilaudat et ob hanc causam de iniusto Atheniensium iudicio, quo eam non satis magni fecissent, acerbe conqueritur. Quis est autem qui poetam commissurum fuisse sibi persuadeat, ut veterem fabulam tantis laudibus afficeret, et tamen eandem multis partibus immutatam aut plane aliter descriptam in scenam induceret? Nimirum hoc profecto hominis male feriatum fuisset, non Aristophanis. Neque huic sententiae officiant verba Nubb. v. 535. *καὶ γὰρ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ· οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ ἕξαπατῶν δις καὶ τρίς ταῦτ' εἰσάγων· ἀλλ' αἰεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι, οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιὰς.* Ista enim non ad secundas Nubes spectant, sed pertinent potius ad ridendos alios poetas comicos, qui in diversis fabulis eandem cramben bis terve recoquere solerent. Quam veram esse loci interpretationem perspicue docuerunt Esserus De Nubb. Aristoph. p. 25 sqq. 43, 45. et Hermannus Praefat. l. c., quamvis nuper secus statuerit Fritschius Quaestt. Aristoph. P. I. p. 112 sqq. Atque idem fere mansisse postea fabulae argumentum aliquatenus certe etiam ex Vesparum v. 1036 sqq. licet colligere. Ibi enim poeta quum aliam fortasse fabulam, in qua sycophantas corripuerat *), tum

quidquam a poeta novatum esse, ut Esserus De prima et altera, quae fertur, Nubium editione. Bonnae, 1823. 8. *Süßern Ueber des Aristophanes Wolken.* Berlin. 1826. p. 83 sqq. Rauke De Aristophanis vita. p. 285 sqq. alii contra plures fabulae locos immutatos esse arbitrantur, ut Hermannus Praefat. edit. sec. p. XXII. Dindorf. Aristoph. Fragm. p. 18 sqq. Denique nuper Franc. Volckm. Fritschius Quaestt. Aristoph. T. I. p. 105 sqq. copiose demonstrare conatus est, priores Nubes easque deperditas ab iis, quae supersint, prorsus fuisse diversas, quandoquidem illae non in Socratem, sed tantummodo in Socraticos, Chaerephontem, Alcibiadem, alios, scriptae fuerint: de quo tamen mihi, fateor, minime persuasit.

*) De hac re, data scribendi opportunitate, alibi explicabimus.

priores Nubes respiciens: ἀλλ' ὑπὲρ ὑμῶν ἔτι καὶ νυνὶ πολεμεῖν φησὶ τε μετ' αὐτοῦ τοῖς ἠπιάλοις ἐπιχειρήσαι πέρυσον καὶ τοῖς προετοῖσιν, οἳ τοὺς πατέρας τ' ἤγγον νύκτωρ καὶ τοὺς πάππους ἀπέπνιγον, ad quae recte Berglerus: „Nam incubus, inquit, videtur homines strangulare; simul ad Nubes respicitur, in qua Phidippides patrem suum verberat et praefocat, ut in illis etiam est, quas nunc habemus, vers. 1380., ubi pater dicit de filio: κάπειτ' ἔγλα με κάσποδει κάπνιγεν. Pergit poeta: κατατιλλόμενοι τ' ἐπὶ ταῖς κοίταις ἐπὶ τοῖσιν ἀπράγμοσιν ὑμῶν Ἀντιμοσίας καὶ προσζλήσεις καὶ μαοτηρίας συνεκόλλων, ὥστ' ἀναπηδᾶν δειμαίνοντας πολλοὺς ὡς τὸν πολέμαρχον., quae etsi rem more comico exaggerant, tamen non est dubium quin pertineant ad φροντιστηριον illud v. 92 sqq. descriptum et ad orationem Strepsiadis v. 445 sqq. Sed omnium optime ex ipso Platone perspicitur in primis Nubibus quae ad Socratem spectarent omnia similiter atque in fabula superstitie adornata fuisse adeoque Socratem tanquam inanium sophistarum principem in scenam inductum. Nam haudquaquam verisimile est philosophum iis locis, quibus Aristophanis fabulam respexit, secundam eius ob oculos habuisse recensionem, praesertim si per hanc multa fuissent immutata. Contraria tamen Fritschii mei sententia est, qui etsi statuit, secundas Nubes non esse in scenam inductas, tamen easdem contendit a Platone esse respectatas. At enim vero in Apologia quidem certe philosophus per ipsam rei naturam non potuit aliam fabulam respicere, quam quae et edita esset et iudicibus cognita. Quod quidem eo est certius, quo verisimilior est Hermanni sententia, qui ex ipsa Nubium indole et forma efficere studuit, secundam fabulae recensionem, quam Scholiastae memorant, a poeta inchoatam tantum, non perfectam absolutamque esse, eam vero, quae superest hodie, fabulam ex utraque recensione, perfecta prima et imperfecta secunda, mixtam esse et conflata: cui viri summi iudicio suffragati sunt etiam Fr. Aug. Wolfius Praef. ad Nubb. p. IV. et Boeckh. De Graec. Tragoed. Princip. p. 21. Accipe vero ipsa Platonis verba Apolog. p. 19, B. C. ὥσπερ οὖν κατηγορῶν τὴν ἀντιμοσίαν δεῖ ἀναγνῶναι αὐτῶν Σωκράτης ἀδίκει καὶ περιεργάζεται ζήτων τὰ τε ὑπὸ γῆς καὶ τὰ ἐπουράνια, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, καὶ ἄλλους ταῦτα διδάσκων, τοιαύτη τις ἐστὶ, τοιαῦτα γὰρ ἐωρᾶτε καὶ

αὐτοὶ ἐν τῇ Ἀριστοφάνους κωμῳδίᾳ, Σωκράτη τινὰ ἐκεῖ περιφερόμενον, γάσκοντά τε ἀεροβατεῖν, καὶ ἄλλην πολλὴν γλῶσσαν γλῶσσοντα. ὣν ἐγὼ οὐδὲν οὔτε μέγα οὔτε σμικρὸν πέρι ἐπίω. coll. p. 18. B. Vides hic ea commemorari, quae in fabula adhuc superstitie reperiuntur, ut non possit dubitari, quin etiam in primis Nubibus sophistarum ineptiae similiter in Socratis persona exagitatae sint. Neque enim audiendus Fritschius est, qui p. 123 sqq. ex hoc ipso loco efficere studuit, ut argumentum primarum Nubium prorsus diversum a superstitie fabula fuisse existimaretur. Nimirum noluit iam philosophus omnem totius illius fabulae sententiam declarare, sed hoc tantum dixit, τοιαῦτα in Nubibus spectanda praeberi: quod ita esse, vir doctus ipse largiri coactus est. Istud περιφερόμενον vero haud dubie pertinet ad eum locum, quo Socrates meditabundus in κρημάθρῳ haeret et Strepsiadi interroganti, quid agat, respondet, ἀεροβατῶ. Quanquam enim in nostris Nubibus nihil discrete dicitur de corbis pensilis agitatione, tamen facile est ad intelligendum, κρημάθραν illam non stetisse fixam et immobilem, sed dum Socrates in ea penderet, huc et illuc motam fuisse: quorsum referendum est etiam istud ἀεροβατῶ. Nam si quietus ille consedisset, profecto non potuisset respondere se per aërem incedere. Quocirca equidem non credam Fritschio l. c. p. 132. contendenti, nullam fuisse in theatro Attico machinam, cuius ope quis sublimis in aëre sursum deorsum ferri potuerit, ideoque περιφερόμενον interpretanti per plateas errantem. Eam enim interpretationem non fert totius loci sententia. Ac si Socrates in corbe pensili haesit, ne intelligitur quidem qui non potuerit huc et illuc agitari. Videmus igitur vel scenicum fabulae apparatus in ista quidem parte olim eundem fuisse, qui nunc est. Non minus est memorabilis locus Symposii p. 221. B. ubi de fuga apud Delium narrans Alcibiades: πρῶτον μὲν (εἶδον), ὅσον περιῖν Λάχης τῷ ἔμφρων εἶναι· ἔπειτα ἐμοίγε ἐδόκει, ὃ Ἀριστόφανες, τὸ σὸν δὴ ταῦτο, καὶ ἐκεῖ διαπορεύεσθαι ὥσπερ καὶ ἐνθάδε, βρονθνόμενος καὶ τῷ φθαλμῷ παραβάλλον, ἤρεμα παρασχοπιῶν καὶ τοὺς φίλους καὶ τοὺς πολεμίους. quae ipsa verba leguntur Nubb. v. 361. ὅτι βρονθνέει τ' ἐν ταῖσιν ὁδοῖς καὶ τῷ φθαλμῷ παραβάλλεις. Haec igitur certissime arguunt universam quidem certe fabulae descriptionem

in prima editione eandem fuisse atque in altera. Accedit quod nec fragmenta ex prioribus Nubibus servata quidquam continent, unde alium in iis fuisse Socratis habitum atque speciem probabiliter suspiceris: quanquam singulas quasdam fabulae partes paullo aliter fuisse adornatas utique ex iis colligere licebit. Sed id non agimus hoc tempore.

Quum igitur certissime appareat, Aristophanem primis Nubibus Socratem tanquam garrulum ridiculumque sophistam traduxisse, postea autem eam fabulam neque totam secunda recensione perpolvississe neque rursus in scenam produxisse, quamque idem in fabulis post *Ranas* editis nusquam reperiatur eum ullo modo exposuisse risui multitudinis, nihil est quod possit maiore cum verisimilitudinis specie affirmari, quam quod cum *Prinsterero* aliisque contendimus, videri poetam paulatim cum Socrate in gratiam rediisse, ut quem virum bonum et minime reipublicae periculosum esse intellexisset.

Atque hoc ita factum esse etiam ex eo est perspicuum, quod Plato Aristophanem in *Convivio* fecit cum Socrate familiariter conversantem. Inter quos si tanta intercessisset simultas et inimicitia, quantam vulgo perpetuo obtinuisse existimant, profecto impie philosophus in magistrum fuisset facturus, si colloquium isto modo habitum finisset. Unus tamen locus Platonis est, qui huic sententiae vel maxime adversari videatur. Nam in *Apolog. Socr.* p. 19. B. C. Socrates ita loquens inducitur, ut in fabula Aristophanis non exiguam causam inesse dicat, cur multi iniquius de ipso iudicaverint. At vero ibi nobis persuasum est Socratem nec coram iudicibus ironiae suae oblitum ita fabulae Aristophaneae mentionem facere, ut non ipsum poetam tangat, sed eorum potius temeritatem non sine urbana cavillatione reprehendat, qui ex poetae nugis, iam dudum scilicet ab ipso reiectis, calumniandi causam et opportunitatem quaerere non desiissent. Quam sententiam iam ante hos septem fere annos in commentariis ad eum locum a nobis propositam miramur sane quod nemo eorum, qui postea temporis de Socrate cum Aristophane necessitudine exposuerunt, rite perpendit. Est enim ita comparata, ut ne nunc quidem eius poeniteat. Multo minus etiam cum nostra ratione pugnat locus *Phaedonis* p. 70. C, ubi quod Socrates haec dicit: οὐζου γ' ἂν οἴμαι, ἢ

δ' ὅς ὁ Σωκράτης, εἰπεῖν τιὰ τῶν ἀκούσαντα, οὐδ' εἰ κωμωδοποιός εἴη, ὡς ἀδολεσχῶ καὶ οὐ περὶ προσηζόντων τοὺς λόγους ποιοῦμαι, recte viderunt interpretes vulgare illud fuisse in omnes philosophos conviciam, quod non Aristophanem, sed Eupolin auctorem habeat.

Manet igitur quod antea posuimus, Aristophanem quo tempore Socratem inter perniciosos sophistas numerabat, *Nebulas* scripsisse; postea vero quam eum virum probum, honestum, boni rectique amantem cognovisset, diligere et amare coepisse, ut a Platone in *Convivio* potuerit talis induci, qui cum Socrate amantissimo colloquatur. Atque hanc ipsam causam arbitramur esse, cur in *Euthydemo* Aristophanis nulla mentio iniecta sit, etsi id in postrema sermonis parte, ubi *Crito* de rhetoris istius exponit sententia, commodissime fieri potuisset. Quanquam philosophus dum hilari iocularique ratione argumentum illustrat, atque dictionibus quibusdam comicis usus est etiam in *Nubibus* usurpatis, fortasse subobscurae Aristophanis fabulam significavit.

Atque huc, nisi fallor, trahenda est etiam *Conni* commemoratio, qua facta facile quisque in memoriam redire potuit fabulae Aristophaneae. Constat enim *Connum* *Amipsiae* eodem tempore quo *Nubes* in scenam prodixit, atque de his reportasse victoriam. Nec tamen credibile est hanc fabulam tam iniue iniusteque in Socratem statuisse, imo ea videtur unice ad iocum hilaritatemque fuisse temperata, si quid ex illo ipso Platonis loco colligere licet, quo Socrates sese ait *Connum* magistrum suum infamia quadam conspergere, si quidem homines eum γεροντοδιδάσκαλον appellare soleant. Quod quorsum spectet, docet locus *Ciceronis* iam supra memoratus *Epistol. ad Divers.* IX. 20. „ὄψιμαθῆς autem homines scis quam insolentes sint.“ Enimvero senes sunt fere indociles, intractabiles, et suorum decretorum nimis tenaces. Unde lux affunditur loco Platonis *Sophist.* p. 251. B. ὁθεν γε τοῖς ὄψιμαθῆσι θόνην παρεσκευάζαμεν· εὐθὺς γὰρ ἀντιλαβέσθαι παντὶ πρόχειον. Atque eodem pertinet etiam quod *Diogenes* dixisse fertur: νεκρὸν ἰατρῆν καὶ γέροντα νοσθεῖν ταῦτον εἶναι.

Sed res repetenda altius est atque de *Conno* ipso explicandum accuratius, de quo usque ad hunc diem ho-

minum doctorum iudicia circumferuntur minime probabilia. Perhibent enim eum praeclarum fuisse fidicinem et excellentissimum artis musicae magistrum. De quo mea quidem sententia non unam ob causam dubitari potest. Nam primum quidem in Menexeno p. 235. E. apertum est ab ipso Socrate ita eius mentionem fieri, ut per urbanum iocum et irrisionem eius institutio anteponatur Lampri musici celeberrimi disciplinae. Cuius loci ratio, nuper demum a nobis patefacta, dici non potest quantopere homines eruditos inde a Cicerone ad Winckelmannum usque sefellerit. Omnes enim Socratis ironia non percepta homini tantum habuerunt honorem, ut eum in arte sua longe praestantissimum fuisse iudicarent. v. Ciceron. Epistol. Famil. IX. 21. Maxim. Tyr. p. 225. T. II. ed. Reisk. Valer. Maxim. VIII. 7. Suidas s. v. *Κόννος ψῆφος* T. II. p. 346 Interpret. ad Aristoph. Equitt. v. 534. ed Brunck. s. Commentar. Lips. Vol. IV. p. 150 sq. ubi etiam grammaticorum et scholiastarum opiniones recensentur. Winckelmann. Praef. p. XL sq. Schleiermacher. Opp. Plat. T. II. Vol. III. p. 532. At enim vero Platonis auctoritate quum illi abusi sint, quam nihil eorum sententiae sit tribuendum, facile intelligitur. Et res ipsa suadet, ut de musico isto non tam magnifice sentiamus. Neque enim verisimile est eum, si tantus fuisset artifex, aut in tanta paupertate fuisse versaturum aut aliis maximeque poetis comicis adeo debuisse ludibrium. Enimvero apud Aristophanem et Cratinum qui memoratur *Κοννᾶς*, is dubium non est quin sit ille ipse Connus, cuius apud Platonem mentio fit. Id rectissime vidit Winckelmannus Praefat. p. XL. laudata Bentleii de nominibus *ὑποκοριστικοῦς* disputatione in Epist. ad Io. Millium Opuscul. philol. p. 521 sq. ed. Lips.; senserat item Brunckius ad Vesp. v. 534. in eo tamen falsus, quod *Κόννας* scribendum putavit. Iam vero audi, quid sit, quod comici de homine narrant. Aristophanes Equitt. v. 534. — *ἀλλὰ γέρον ἂν ποιήσῃ Ὡσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αἶνον, δίψη δ' ἀπολωλώς. Ὁν χορὴ διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῇ ποντανείῳ.* Vesp. v. 675. *σὲ μὲν ἤρουνται Κόννον ψῆφον· ταυτοῖσι δὲ δωροδοκοῦσιν ὕδατος, οἶνον κ. τ. λ.* Suidas v. *Κοννᾶς* T. II. p. 345. et Schol. ad Equitt. v. 531. hos Cratini versiculos memorant: *ἔσθιε καὶ σῆ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα*

σε λιμὸς Ἐχθαίῳ, Κοννᾶς δὲ φιλοστέφανός σε φιλήσῃ. quae adumbrata sunt ad illud Hesiodi Opp. et Dier. v. 299. s. 277. ed. Brunck. *ἐργάζεαι Ἥερον, Διὸς γένος, ὄφρα σε λιμὸς Ἐχθαίῳ, φιλήσῃ δὲ ἐυστέφανος Δημήτηρ.* Vides artificem tanquam senem pauperculum, bibulum et voracem perstringi; de virtutibus eius nihil praedicari, praeterquam quod superiores eius victoriae cum irrisione commemorantur. Quare loco Menexeni commotus aliter atque vulgo de eo iudicandum existimo. Ego enim si quid video, res ita potius sese habet. Fuit ille musicus admodum mediocris. Nihilominus acciderat aliquando, ut in certaminibus reportaret victoriam. Cuius honoris ille per totam vitam adeo fuit memor, ut coronam capiti impositam gestaret caque ornatus magno cum fastu per plateas incederet, etsi summa paupertate iam eo redactus erat, ut instituenda iuventute victem quaeritaret. Atque haec ipsa potissimum fuit causa, nisi fallor, cur Socrates eum frequenter visitaret, videlicet quamcumque opportunitatem cum adolescentibus disserendi studiose investigare solitus et fortasse ipso hominis ingenio allectus et invitatus. Nam videtur Connus sane Socrati simile habuisse ingenium similemque fortunam. Primum enim fuit pauper et egenus, quae paupertas eo magis debuit esse ridicula, quo magis victoriis suis olim reportatis superbiret. Eandem fortunam Socrates quoque expertus est, quem constat Athenis vulgo *τὸν πένητα* esse appellatum, v. Xenophont. Oecon. II. 3. coll. Plat. Apolog. p. 23. B. Deinde ille videtur in rebus ad philosophiam pertinentibus lubenter esse versatus et cum sophistis aliisque id genus hominibus confabulari solitus: nam isti quoque quum adolescentium visendarum gratia tum hominis singulari ingenio praediti causa eius domum frequentabant. In quo ne nos temere hariolari existimes, teste Athenaeo V. p. 218. C. Amipsias in Conno chorum ex *φροντισταῖς* compositum in scenam induxit, quod certe facere non potuisset, nisi bonum Connum lubenter de istiusmodi rebus nugari solere Athenis notum fuisset. Atque hoc alterum est, in quo ei quaedam cum Socrate similitudo intercessit. Tertium fuit, quod etiam habitus atque facies hominis per esset ridiculus. Incedebat enim per plateas urbis quandam prae se ferens gravitatem, corona ornatus, quandoque etiam temulentus. Quid igitur? talis quum esset homuncio, num cuiquam mirum

videbitur, quod Socrates eius consuetudinem appetiit? Nimirum is pro urbanitate sua se simulavit musicam ab eo perdiscere velle, quae erat viri professio, si quid video, irrisionis plenissima. Atque haec si probabiliter a nobis sunt disputata, cur Amipsias totam sophistarum cohortem, uno Protagora excepto, qui tum aberat Athenis, cum Conno convenire iusserit, nemini erit obscurum. Inter eos autem si non primarias, et certe insignes, partes egit Socrates; quorsum spectant versiculi a Diogene Laertio II. 28. servati, quibus reliqua multitudo eum detrito pallio indutum advenientem salutat. Diogenis verba haec sunt: *Ἀμειψίας δ' ἐν τρίβωνι παραγών αὐτὸν φησὶν οὕτως· Σόκρατες, ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ' ἤξεις καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς, κατ' ἐρικῶς τ' εἰ. πόθεν ἂν σοὶ γλαῦνα γένοιτο; Τοῦτ' ἰδὲ κακὸν τῶν σπαντοτόμων κατ' ἐπιρροίαν γένηται.* Satis lepidum et ridiculum hunc sophistarum congressum fuisse oportet, ut non sit mirandum, quod haec Amipsiae fabula spectatoribus praeter ceteras placuit. Quanquam de hac re non licet certi quid pronuntiare, quia quale eius fuerit argumentum, admodum obscurum est*). Videmur tamen non temere hariolari, existimantes Connum cum Socrate ceterisque sophistis ita a poeta in scenam esse inductum, ut ipse vetulus vetulos, maximeque Socratem, arte musica erudire conaretur: unde omnibus nata est multa argutandi rixandique occasio. In aliam tamen sententiam Fritschius disputavit l. c. p. 243 sqq. qui Connum Amipsiae censeat versatum esse in doctiorum hominum, ut philosophorum, sacerdotum, vatum, artificum, illudenda paupertate. Cuius opinionis vereor ut satis idoneae sint rationes. Quod nos statuimus, id verum esse suspicamur partim ex eo, quod Socrates apud Platonem narrat Connum vulgo *τὸν γεροντοδιδάσκαλον* vocari, quia ipse eius disciplina utatur, partim ex Nonio Marcello, qui Senis doctorem non uno loco inter titulos fabularum Varronis memorat: quod certe argumento est, hanc materiam veteribus comicis non fuisse incognitam. Atque haec si vera sunt, cur in extrema dialogi nostri

*) Cf. Meineke Quaest. Scenic. spec. II. p. 43. Ranke in Seebod. Bibl. Crit. a. 1828. n. 31. p. 247.

parte nec Amipsiae ducatur ratio, in aprico esse putamus. Etenim is Socratem non ut vaniloquum et perniciosum sophistam, sed ut garrulum et contentiosum senem informaverat, indeque eximiam risus movendi captaverat occasionem. Quanquam quod Socrates in principio dialogi Connum tanquam magistrum memorat suum, eo fortasse tecte Amipsiae pariter atque Aristophanis fabula significatur.

Reliquus est Eupolis, qui si Socratem similiter atque Aristophanes in scena traduxisset, sanequam etiamnum esset mirabile, cur Plato poetas comicos non vicissim perstrinxerit aperteque vituperaverit. At enim vero etiamsi Eupolis Socratem vehementer corripuerit, tamen eum non ut nearium sophistam, qui omnia temere calumniaretur, sed ut inanem eumque pauperculum rerum coelestium scrutatorem aut alio nomine perstrinxisse videtur, id quod colligimus ex Fragmentis apud Runkelium p. 175 sq. conf. Fritschius l. c. p. 217 sqq. Ac similis fortasse aliorum comicorum causa fuit, de quibus hic non est dicendi locus.

Explicavimus igitur, cur Plato in Euthydemo poetarum comicorum, qui Socratem eiusque disciplinam in scena risissent, nullam rationem habendam duxerit.

Sequitur ut exquirendum sit, cur scriptores orationum forensium potissimum carpantur tanquam germanae philosophiae adversarii Cuius rei causas Plato ipse satis perspicue indicavit. Quippe homines isti arrogantes et superciliosi cum rhetoribus id habebant commune, quod se in sophistarum numero haberi nollent, licet se ex eorum disciplina aliquid lucri capere posse non desperavissent. Certe quidem Gorgiam novimus magnopere cavisse, ne inter sophistas referretur, et eam ipsam ob causam sophistae nomen repudiavisse, sicuti docuit Fossius de Gorgia Leont. p. 41. Idem autem illi etiam *πολιτικοὶ* videri volebant, cuiusmodi homines quam inclementer in sophistas statuerint, docet locus Menonis p. 91. A sqq. ubi Anytus a Socrate interrogatus, num Menoni censeat consuetudine et institutione sophistarum utendum esse, tam acriter in eos invehitur, ut sophistas tanquam pestem et perniciem civitatis valde abominetur. Ex quo explicationem habet etiam illud, quod De Rep. VI. p. 493. A. sophistae vocantur virorum civilium *αὐ-*

τιτεχνολ. Quum vero scriptores illi oratorii sophistas magnopere contemnerent, quorum argutam dialecticam ad rhetoricae artis facultatem parum valere sibi persuasissent, tum superciliosi et invidi universae philosophiae inimici exstiterunt. Nam primum quidem quia erant minus eruditi, imo semidocti, quid in sapientiae disciplina boni inesset et quomodo ea ab eristica esset discernenda, minime intellexerunt. Deinde molestissime tulerunt, si quando a Socrate vel eius familiaribus importunitis quaestiuunculis vexarentur, famam suam atque auctoritatem agi existimantes, si quando ab iis confutati viderentur. Quo factum est, ut quae criminationes unice in rixosam illam et contentiosam sophisticam convenirent, eas in universam philosophiam conicerent atque Socratis rationem cum illa sedulo confunderent. Ita igitur hoc hominum genus viro optimo, acerrimo sophistarum exagitatori, multum invidiae atque odii conflavit, ut mirandum profecto non sit, quod Plato eos tanquam temerarios homines et ineptos philosophiae atque ipsius Socratis reprehensores praeter ceteros acerbè castigaverit. Atque ex hoc eodem fonte fortasse etiam odium illud in Lysiam fluxit, quem novimus in Phaedro gravi censura a philosopho esse notatum. Enimvero is etsi benevolens in Socratem animo fuit, si quid ex iis colligere licet, quae narrat Cicero De Orator. I. 54., tamen Platoni ex itineribus reduci ideo stomachum movit, quia quum insignis rhetoris laude floreret, tamen a philosophia erat plane alienus ideoque artis oratoriae facultatem magis usu et exercitatione collectam quam ratione inventam et perfectam tenebat: de qua re in Prolegomenis ad Phaedrum et Menexenum explicatum est.

Cum universi libri argumento praeclare congruit illud, quod in principio atque fine sermonis Critoni interlocutoris partes tribuuntur. Cuius viri exemplo sanequam commodissime declarari potuit per inanes illos rixandi artifices tantum invidiae confari verae sapientiae disciplinae, ut vel homines benevolentissimi de salutari eius vi et efficacia dubii redderentur. Fuit enim Crito et Socratis et philosophiae amantissimus, homo optimus et liberali animo, sed non ita perspicax et subtilis, ut vera a falsis facile discerneret. Ex quo etiam apparet, cur ei, si a dialogo ipsius nomine inscripto et quibus-

dam Phaedonis locis discesserimus, in uno Euthydemo interlocutoris partes eaeque fere secundariae sint demandatae. Nam qui a philosophandi subtilitate esset parum instructus, cum Plato facile intellexit non posse cum Socrate ita colloquentem induci, ut de gravioribus atque difficilioribus quaestionibus dissereret. Quanquam igitur ille et philosophiae studiosus erat et Socratis amantissimus, tamen facile accidere potuit, ut eristicorum nugis admodum commoveretur adeoque paene adduceretur eo, ut sapientiae disciplinae diffidere inciperet et de Socratis fama atque existimatione sollicitus fieret. Quae si recte iudicavimus, et convenient certe cum iis, quae alibi de eo memoriae prodita sunt atque partim a Groenio van Prinsterer Prosopograph. Plat. p. 200 sqq. exposita, nihil profecto universi colloquii rationi et consilio fingi potest accommodatius quam quod Plato hunc potissimum cum Socrate colloquentem induxit.

Reliquum est, ut quaerendum sit, quo tempore Euthydemus scriptus esse videatur. Et diserta quidem temporis indicia, unde hac de re coniecturam capere liceat, in eo expressa cernuntur fere nulla. Schleiermacher enim quod e p. 273, E. ubi sophistae Thuriis fugisse narrantur, apparere censuit, colloquium post Olymp. XLII. habitum fingi, pro certo posuit quod est longe incertissimum. Sumsit enim Dionysodorum et Euthydemum eodem anno quo Lysiam, hoc est Olymp. XCII. 2. sive ante Chr. n. 411., Thuriis pulsos esse, quum tamen id iam antea evenire potuerit, siquidem non semel accidit, ut in civitate illa recens condita inter diversas factiones tumultus et seditiones orientur. Non firmior est Pinzgeri ratio, qui in Specim. Nov. Edit. Euthydemum p. 10. e verbis p. 275. A. collegit habitum fingi colloquium Olymp. XCI. 4. quia Alcibiades commoretur sic, ut vix exsul haberi possit. At loco illo diligenter considerato nihil videbis ex eo posse concludi nisi sermonem ante Olymp. XCIV. 1. habitum fingi. Plus profecit Winkelmanni diligentia, qui e verbis p. 286. C. καὶ γὰρ οἱ ἀπὸ Πρωταγόραν σφόδρα ἔχουστο αὐτῷ καὶ οἱ ἔτι παλαιότεροι, verissime collegit dialogum post obitum Protagorae et habitum fingi et scriptum esse. Iam vero Freretus in libro: *Memoir. de l'Academ. d. Inscript. T. 47. p. 277 — 282.*

et Geelius *Histor. Sophistar.* p. 70. probabiliter demonstrarunt mortuum esse sophistam anno ante Chr. n. 410. Ex quo consequitur, librum post Olymp. XCII. 3. literis consignatum esse. Mihi tamen nec haec computatio satisfacit. Prodiit enim Euthydemus, nisi fallor, incunte Olymp. XCIV. quo tempore Aristophanis adversus Socratem inimicitia iam tota evanuerat, non multo ante Protagoram, quocum etiam argumenti quaedam necessitudine continetur. Quae sententia vel maxime commendatur totius scriptionis ratione et consilio. Scripsit enim Plato hunc librum haud dubie iis temporibus, quibus ei operae pretium visum est efficere, ut Socratis philosophandi ratio ab inani ista sophistarum arte diligenter discernereetur. Quae si ex me quaeris qualia fuerint, equidem non dubito, quin paucis annis ante Socratis accusationem eius rei maxima fuerit vel necessitas vel opportunitas. Nam illis temporibus usque ad viri iudicium temerariae istae opiniones ab eius adversariis sedulo videntur divulgatae et amplificatae esse, sicuti ex Apologia apparet. Nec vero probabile est Euthydemum tum demum esse confectum, quum Socratis causa iam in iudicium deducta esset. Nam si lis iam in iudicio esset versata, haud dubie scriptor eius rei rationem habiturus erat. Ex quo admodum fit probabile, librum aliquo tempore ante Socratis accusationem literis esse consignatum. Confirmatur haec nostra sententia vel maxime eo, quod quaecumque de vitae beatitate, de scientia tanquam virtutis fundamento, deque virtutis disciplina disseruntur, ea omnia germanae doctrinae Socraticae speciem referunt, nec per totum librum quidquam eorum investigari potest, quae Plato postea de vi et natura virtutis est commentatus. Enimvero inde perspicue intelligitur, Platonem, quo tempore Euthydemum scripsit, fidum adhuc fuisse rationis Socraticae sectatorem, quod certe in annos adolescentiae eius cadit. Huc accedit quod perquam est credibile, philosophum non illo demum tempore, quo scholas in academia habere instituit, suam ipsius dialecticam isto quidem modo ab adversariorum calumniis fuisse defensurum, quandoquidem inanes isti garrulique disputatores, etiamsi se adhuc iactaverint, tamen quomodo a Socraticis differrent, viris prudentibus et cordatis non amplius obscurum esse potuit. Denique nec Megaricorum disserendi ratio usquam in Euthydemum respicitur, quod sane magnum momentum

ad nostram rem facit, quum philosophus tam multa eius carpendae opportunitate oblata non videatur eam silentio fuisse transmissurus, nisi idoneas eius rei causas habuisset. Sed nimirum Plato post Socratis obitum demum, quum Athenis relictis se ad Euclidem contulisset, illam videtur cognovisse accuratius. Ita igitur omnia suadent, ut Euthydemum non ita multo ante Socratis accusationem scriptum esse credamus.

Atque his ita explicatis videmur et sententiam nostram de universi operis argumento atque consilio supra adumbratam satis confirmavisse, et quae praeterea ad librum intelligendum sunt necessaria, quantum hac disputatione fieri poterat, in illustri luce posuisse. Qua disputatione tandem hoc effectum putamus, ut totam scriptionem prorsus divina arte compositam et elaboratam esse appareat. Omnes enim libri partes tam apte inter se nexas atque colligatas esse ostendimus, nihil ut sit otiosum aut supervacaneum, omniaque tanquam singula unius corporis membra pulcherrime inter ipsa conveniant. Est enim toti operi propositum nihil aliud, nisi ut doceatur, nugacem istam eristicam, quae se temere virtutis magistram profiteatur, nihil esse nisi vanam argutarum venatricem, ideoque Socraticae disciplinae multum esse postponendam, ut quae re vera ad virtutis institutionem pertineat et rationes cuiusque rei subtiliter soleat pervestigare; nihilominus autem accidere, ut homines fastuosi et invidi alteram cum altera sedulo confundant atque ita veram sapientiae et virtutis disciplinam in odium hominum atque contemptum adducant. Quocirca haud videmur temere statuere omnia eo redire existimantes, ut Socratica ratio a vanae illius et inanis eristicae, pulcherrime sane in hoc libro descriptae, suspicione liberetur, doceaturque cavendum esse, ne, dum istam sophisticam contempnas, simul etiam germanam sapientiae et virtutis disciplinam nihili aestimandam esse opineris.

Sed tempus est disputationi nostrae, quae vel sic fortasse nimis ampla evasit, finem imponere. Qua si id effecisse videbimur, ut de opere sanequam gravissimo rectius existimetur, eo impensius laetabimur, quo densioribus tenebris illud adhuc fuit involutum.

Ceterum non vereor, ne nunc quisquam Astio putet assentiendum esse, qui in libro ceteroquin egregio *De Vita et Scriptis Platonis* p. 414 sqq. etiam

hunc dialogum Platoni per fraudem suppositum esse indicavit. Nam primum quidem illud exploratum habemus, Euthydemum eatenus non esse Platonicum, quatenus a Platone Socratico literis consignatus est: quod tamen nihil impedit, quominus eum ad philosophum nostrum tanquam auctorem referamus. Deinde etsi non id agitur, ut locus aliquis doctrinae Platonicae subtilius illustretur, sed tota scriptio maxime in doctrina Socratis a sophisticarum argutarum suspicione vindicanda versatur, tamen passim vel opiniones sophistarum maximeque Protagorae longe lateque illa aetate disseminatae refelluntur, vel doctrinae Socraticae loci quidam, si non explicantur, at certe attinguntur atque significantur, quo ipso efficitur, ut et sophistarum castigatio et Socraticae rationis commendatio artificiosissime coniuncta sit cum gravissimarum rerum vel explicatione vel significatione, quae miramur sane virum doctissimum in hoc opere prorsus desideravisse. Denique nec in verbis nec in sententiis quidquam reperitur, quod malae fraudis suspicionem excitare aut alere posse videatur. Nam quod multae dictiones ioculares atque proverbiales cumulantur, id eiusmodi est, ut cum sophisticas irrisione propemodum petulanti illa et proterva optime conveniat, ut profecto non videam, cur quis hac in re ullo modo haereat. Quod autem Socrates aliquoties non e sua ratione disputat, sed ex mente sophistarum loquitur, id si non est animadversum, neutiquam scriptori vitio vertendum est, sed potius iis ipsis, qui quum librum sibi viderentur penitus intellexisse, tamen has quidem eius partes secus atque debuerant interpretati sunt. Nec quidquam affert dubitationis, quod loci quidam reperiuntur etiamnum obscuri. Quorsum pertinent quae p. 271. D. de fratribus Acarnanibus et p. 297. E. de Patrocle Socratis fratre narrantur. Nam in talibus nesciendi ars est adhibenda, cavendumque magnopere, ne quae nobis obscura sunt, etiam veteribus ignota fuisse existimemus. Ita certe prohibebimus, ne turbulentis dubitationum fluctibus tanquam in immensum inscitiae et ignorantiae mare auferamur.

Possumus his nonnulla subiicere de sententia eorum, qui Socratem in sophistarum numero habendum iudicaverunt. Sed haec materia, quia et a nobis alibi *)

*) In progr. 1830. edito.

est tractata et explicata etiam ab aliis, satis erit hoc unum adiecisse, Platonem ipsum in Euthydemo huic opinioni maxime esse adversatum.

ELENCHUS CODICUM.

Bodleianus s. Clarkianus. — Coislinianus (T). Vaticanus Θ et r. Veneti $\Xi\Sigma$. Paris. B. quo usus est Routhius, et Paris. CE. Angelicus (w). Barberinus (y). Palatinus (e). Urbinas (f). Vindobonens. 54. (nobis r). Flor. a. b. c. o. Palat., quem Creuzer. nominavimus, unde vir illustris excerptas lectiones dedit in Melett. Critt. Fasc. I. p. 100 sq. Optimi sunt Bodl. Coisl. Vat. Θ . Vindob. et Creuzer. Quanquam iis non tantum est tribuendum, ut ubique aut veram lectionem aut certe eius vestigia servare existimentur. Sunt enim nec ab ipso Platone scripti nec a scribarum erroribus et grammaticorum correctionibus immunes. Quocirca etiam reliquorum librorum ducenda est ratio, siquidem saepenumero accidit, ut vel deteriores libri verae germanaeque scripturae vestigia habeant. Alioquin ars critica facile eo deveniet, ut mero manuum labore contineatur.

EDITIONES LIBRI PECULIARES.

Separatim Euthydemus editus et illustratus primum a Routhio est, cuius editionis hic est titulus:

Platonis Euthydemus et Gorgias. Recensuit, vertit, notasque adiecit Martin. Joseph. Routh. Oxonii, e typographio Clarendoniano. 1784. 8. mai.

Hunc sequutus est Heindorfius edito Vol. III. Dialogorum Platonis Selectorum, quod etiam hanc habet inscriptionem:

Platonis Dialogi tres, Cratylus, Parmenides, Euthydemus. Emendavit et annotatione instruxit Lud. Fr. Heindorf. Berol. 1806. 8. mai.

Denique nuper editoris munere functus est Winkelmannus, quo curante prodit:

Platonis Euthydemus. Recensuit, Prolegomenis et commentariis illustravit, apparatus criticum di-

68 DISPUTATIO DE EUTHYDEMO PLATONIS.

gessit, scholia, excursum et indices adiecit Aug. Guil. Winckelmann. Accessit Aristotelis liber de sophisticis elenchis. Lipsiae. 1833. 8. mai.

Specimen novi Commentarii in Euthydemum edidit Gustav. Pinzger. Liegnit. 1834. 4. quod dialogi initium usque ad p. 272. A. complectitur.

Germanica Schleiermacheri interpretatio continetur Opp. Platon. Vol. II. P. I. p. 397 sqq. edit. sec.

E Y Θ Y Δ Η Μ Ο Σ

ΤΑ ΤΟΥ ΔΙΛΛΟΓΟΥ ΠΡΟΣΩΠΑ
 ΚΡΙΤΩΝ, ΣΩΚΡΑΤΗΣ, ΕΥΘΥΛΗΜΟΣ, ΔΙΟ-
 ΝΥΣΟΔΩΡΟΣ, ΚΛΕΙΝΙΑΣ, ΚΤΗΣΙΠΠΟΣ.

Cap. I. Τίς ἦν, ὦ Σώκρατες, ᾧ χθὲς ἐν Δι- 271
 κείῳ διελέγον; ἢ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος περιεστήκει, ὥστ'
 ἔγωγε βουλόμενος ἀκούειν προσελθὼν οὐδὲν οἷός τ'
 ἦν ἀκοῦσαι σαφῆς. ὑπεκνήψας μέντοι κατέιδον, καί
 μοι ἔδοξεν εἶναι ξένος τις, ᾧ διελέγον. τίς ἦν;
 ΣΩ. Ὅποτερον καὶ ἐρωτᾶς, ὦ Κρίτων; οὐ γὰρ
 εἷς, ἀλλὰ δύο ἦσθην.

P. 271. ἢ πολὺς ὑμᾶς] Par. BCE. Angel. Barb. Urbin.
 Vat. r. Vind. ἢ. Heindorfius ἢ abesse malebat; sed v. infra. —
 ἡμᾶς Ven. Σ. BCE. Ang. Barb. Pal. Flor. a. b. c. o. In Vat. r.
 et Vind. ὄχλος deest.
 μέντοι κατέιδον] Bodl. κατέιδον, i. e. κατέιδον.

P. 271. Τίς ἦν, ὦ Σ. — πε-
 ριεστήκει] „Verba haec a
 Demetrio citata sunt in libello
Περὶ ἐπιγραφῶν §. 235, ed. Gale
 sine variatione. Illa vero, quae
 mox inferuntur, hoc modo lau-
 dantur memoriter: Ἀλλὰ μοι ξέ-
 νος τις φαίνεται ᾧ διελέγον· τίς
 ἦν;“ Routh.
 ἢ πολὺς ὑμᾶς ὄχλος —]
 Heindorfius, quia ἢ non usur-
 pari soleat nisi post alterius
 interlocutoris sermonem, aut
 expungendum illud censet, aut
 scribendum: πολὺς γὰρ ὑμᾶς
 ὄχλος. Sed nulla est causa, cur
 voculam suspectam habeamus,
 quae quum asseverandi vi et
 potestate polleat, haud sane in-
 telligitur, cur non liceat eidem

personae, facta aliqua recitandi
 interstitione, sermonem ita con-
 tinuare, ut utatur hoc affir-
 mandī vocabulo. Accedit quod
 ne in iis quidem locis, quos
 vir doctus ad confirmandam sen-
 tentiam suam attulit, arctior
 quaedam inter interrogationem
 et praecedentem sententiam ne-
 cessitudo intercedit. v. De Rep.
 V. p. 453. E. VII. p. 530. C.
 VIII. p. 567. E. Euthyphr. p.
 14. B. Fecit tamen insolita
 haec sententiarum continuatio,
 ut librarii temere ἢ scripserint.
 Ὅποτερον καὶ ἐρωτᾶς]
 Fallitur Heindorfius ὁποτε-
 ρον ratus pro ποτερον usurpari
 solere. Habet enim oratio in
 talibus locis imitationem quan-

KP. Ὅν μὲν ἐγὼ λέγω, ἐκ δεξιᾶς τρίτος ἀπὸ σοῦ καθῆστο· ἐν μέσῳ δ' ὑμῶν τὸ Ἀξιοχίου μειράκιον ἦν· καὶ μάλα πολὺ, ὡς Σώκρατες, ἐπιδεδωκέναι μοι ἔδοξε, καὶ τοῦ ἡμετέρου οὐ πολὺ τι τὴν ἡλικίαν διαφέρειν Κριτοβούλου, ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν σκληρὸς, οὗτος δὲ προφερὴς καὶ καλὸς καὶ ἀγαθὸς τὴν ὄψιν.

B. ἐπιδεδωκέναι] Bodl. Vind. Par. E, ἐπιδεδωκέναι. Dein διαφέρει Ven. S. Par. CE. Angel. Pal. Flor. a. b. c. o. σκληρὸς] σκῆφος Bodl.

dam sermonis quotidiani, quo in interrogationibus relativa interrogandi forma utimur, sententiam illam reticentes, unde interrogatio suspensa putari debeat. Germanice dixeris ad eundem modum: Welchen von beiden du doch auch meinst! Ad quae quilibet sponte intelligit, scire velim vel simile quiddam. Explicavi de hac loquendi forma ad Menon. p. 74. E. De Rep. I. p. 348. B. Lysid. p. 212. C. Eodem modo infra p. 267. B. accipiendum ὅ τε ποτὲ λέγεις; ubi Bekkerus de coniectura Heindorfii scripsit: τί ποτὲ λέγεις; Pertinet huc etiam locus Lysiae Accusat. Nicom. p. 840. ed. Reisk. = 259. ed. Brem. καὶ γὰρ τοι, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐπειδὴ ἐκείνων δίκην οὐ δέδωκαν, ὅποσον καὶ νῦν τὴν ἀρχὴν κατατήσαντο; ubi Marklandus et Taylorus errant mirifice.

B. τὸ Ἀξιοχίου μειράκιον] Clinias, Axiochi prioris nepos, de cuius gente v. ad Alcibiad. I. p. 104. A. Critobulus autem, Critonis filius, iuvenis fuit et formositate insignis et Socratis amantissimus, v. Diog. L. II. 13, 121. Plat. Apol. p. 38. B. Phaed. p. 59. Formositate sua ipse gloriatur apud Xenoph. Sympos. III. 7. IV. 10. V. 1 sqq. Itaque cave

ἐκεῖνος cum Heindorfio ad Critobulum aut cum Winckelmanno ad Euthydemum referas: pertinet enim ad Cliniam, quem Crito dixerat μάλα πολὺ ἐπιδεδωκέναι. Sed de vocabulorum σκληρὸς et προφερὴς vi et potestate grammatici vehementer inter se dissentiunt. Nobis unice probantur, quae scripsit ad hunc locum Scholiastes. Σκληρὸς, inquit, ὁ τῷ μὲν χρόνῳ πρεσβύτερος, τῇ δὲ ὄψει νεώτερος δοκῶν· προφερὴς δὲ, τῷ μὲν χρόνῳ νεώτερος, τῇ δὲ ὄψει πρεσβύτερος. Quam sententiam confirmat etiam Photius On. II. 2, 10. iam a Routhio laudatus, προφερὴς λέγεται ὁ τῷ μὲν χρόνῳ νεώτερος, τῇ δὲ ὄψει δοκῶν πρεσβύτερος· σκληρὸς δὲ ὁ τοῦτο ὑπεράντιος, ὃν καὶ νεοειδῆ ἂν εἴποις. Θεόπορος δὲ ὁ κωμικὸς ἐπὶ γυναικὸς εἶρηκεν αὐτό. Hesychius: προφερὴς οἱ νέοι ὄντες, πρεσβύτεροι δὲ γυναικῶν. Eadem habet Harpocration, et alii. Aeschines c. Tim. §. 21. ab Harpocratione laudatus: ἔνοι μὲν γὰρ νέοι ὄντες προφερὴς καὶ πρεσβύτεροι φαίνονται· νεοὶ δὲ πολὺν ἀμειψιὸν χρόνον γεροντίους παρατάσσει νέοι, quem locum a Stephano, Tayloro, Winckelmanno, perperam intellectum vere explicavit Bremius. Etenim σκληρὸς quum originem habeat a σκῆραι, arefa-

ΣΩ. Εὐθύδημος οὗτός ἐστιν, ὡς Κοίτων, ὃν ἐρωτᾷς· ὁ δὲ παρ' ἐμὲ καθήμενος ἐξ ἀριστερᾶς ἀδελφὸς τούτου, Διονυσόδωρος· μετεῖχε δὲ καὶ οὗτος τῶν λόγων.

KP. Οὐδέτερον γιννώσκω, ὡς Σώκρατες.

ὁ δὲ παρ' ἐμὲ] ὅς δὲ παρήμε Bodl. Vat. Θ.

μετεῖχε δὲ κ.] Ita dedi de coniectura Heindorfii. Libri habent μετεῖχει.

facere, commode dicitur de eo, cuius corpus tanquam arefactum non ad eam excrevit magnitudinem, quae ipsius aetati conveniat. Cuiusmodi homines propter staturae exilitatem minores natu videri solent, quam revera sunt. Προφερὴς autem (in anterieus proni) dicuntur, qui citius creverunt et maiorem habent figuram corporis quam pro aetate sua, ideoque videntur aetate grandiores. Quod non perspicies Winckelmannus transversus agit, totum locum hunc in eodem interpretans: ille quidem, quem dico, Euthydemus, exilis est et macer; hic vero, Critobulus, procerus est et pulcher adpectu. Enimvero nec σκληρὸς simpliciter macilentum nec προφερὴς procerum significat, et ἡλικία apud Platonem quidem nusquam de statura corporis et specie hominis externa dicitur. Accedit quod nullo modo perspicitur, cur Euthydemus figura cum adolescentuli specie comparetur. Quod autem dixi ἐκεῖνος referri ad Cliniam oportere, eam sententiam confirmari maxime arbitror verbis praecedentibus, καὶ μάλα πολὺ ἐπιδεδωκέναι μοι ἔδοξε, quae manifesto ad corporis habitum referuntur. Itaque totum locum sic interpretor: Quem ego

dico, is ad dextram tertius a te sedebat; medius autem inter vos erat Axiochi filiolus, ac permultum is mihi videbatur profecisse, nec a nostro Critobulo longe aetate distare: veruntamen ille (Clinias) exilis est et pusillus pro aetate sua, hic autem citius crevit atque pulchra est et honesta facie. Ita igitur ambo adolescentes aetatis ratione habita inter se comparantur, siquidem explicatur, cur alter maior, alter minor natu videatur, quanquam parem fere aetatem habere iudicandi sint.

Εὐθύδημος — ὃν ἐρωτᾷς] Quia Crito plura verba de Clinia et Critobulo interposuit, prudenter Socrates, ad superiorem respondens interrogationem, addit ὃν ἐρωτᾷς.

μετεῖχε δὲ καὶ οὗτος κ.] Ita vere correxit Heindorfius. Nam vulgatum μετεῖχει τ. λ. quod Astius et Winckelmannus interpretantur: versatur autem hic quoque in disputando, s. hic quoque artem disserendi proficitur: ferrem equidem hanc interpretationem, si antea Dionysodorus iudicatus esset disputationibus operam dare solere: nunc hoc unum narratum est, eum heri cum Socrate in

- C ΣΩ. Καινοί τινες αὐ οὔτοι, ὡς ἔοικε, σοφισταί.
 ΚΡ. Ποδαποί; καὶ τίς ἡ σοφία;
 ΣΩ. Οὔτοι τὸ μὲν γένος, ὡς ἐγώμαι; ἐντεῦθέν

C. Ποδαποί; καὶ τίς] δέ, quod vulgo post ποδαποί; insertum erat, cum Bodd. Coisl. Ven. Σ. Par. BCE. Angel. Barb. Pal. Urb. Vat. r. Flor. a. b. c. o. dclvi. Ita oratio plus alacritatis nanciscitur.

Θαυμασία, ὡ Κρίτων· πάνσοφοι ἄτ.] Sic Coisl. Ven. Σ. Pal. Urb. Vat. r. quod confirmat Vat. Θ. qui habet Θαυμασίαν.

Lyceo disseruisse. Quum igitur haec verba ad praecedentia illa referantur, ὡς ἔοικε ἐν Λυκίῳ διελέγου, consequitur ut μετέωρε legendum sit. Accedit quod Dionysodorus eius, quae habitata est, disputationis revera participes fuit, sicuti ex universi libri argumento intelligitur.

καινοί τινες αὐ οὔτοι. —] In exemplo Aldino et aliquot codd. haec quoque Critoni tribuuntur. Ac profecto istud ὡς ἔοικε Critoni coniectanti optime convenit, Socrati non item, nisi cum Heindorfio interpretari velis: ut facile conici potest, wie du leicht denken kannst. At ea interpretatio vereor ut loquendi consuetudini sit consentanea. Winckelmannus igitur, verbis Critoni assignatis, legendum censet: Οὐδέτερον γινώσκου, ὡς Σ., καὶ καινοί τινες αὐ οὔτοι, ὡς ἔοικε, σοφισταί ποδαποί; καὶ τίς ἡ σοφία; Atqui ita Criton sumens novos istos esse sophistas parum considerate statim adiungit suum istud ποδαποί; quod eo molestius accidit, quia se neutrum novisse aperte fateatur. Me si audis, locum hunc in modum emendabis: Criton. Οὐδέτερον γινώσκου, ὡς Σόκράτης· καινοί τινες αὐ οὔτοι, ὡς ἔοικε, σοφισταί. Socr. Ναι. Criton. Ποδαποί; καὶ τίς ἡ σοφία; Hoc Ναι quam saepe post syllabas

consimiles a librariis neglectum sit, quum multis exemplis possim declarare, tamen quia res per se hac luce clarior est, malo equidem doctrinae inops quam importunus haberi.

ἐντεῦθέν ποθεν εἰσιν ἐκ Χίου] Phaedr. p. 229. B. εἰπέ μοι, ὡ Σόκράτης, οὐκ ἐπιδέδεμένοι ποθεν ἀπὸ τοῦ Ἠλλοσίου λέγεται ὁ βορέας τὴν Ἠπειθουμν ἀρπάζου; ubi v. annot. coll. Poppo. ad Xenoph. Cyrop. VII. 1, 23. Chii autem coloni se adiunxisse videntur Atheniensibus illis, qui Olymp. 84. 2. = 443. a. Chr. n. decem navibus duce Lampone et Xenocrito Thuriis migrarunt; de qua re v. Diodor. XI. 90. XII. 7. et 10. Quae Routhii coniectura nescio cur Heindorfio adeo incerta visa sit. Nam ipsum hoc ἀποικίαν satis liquido testatur de alio itinere vel migratione non licere cogitari. Plus dubitationis habet quod Schleiermacherus statuit, fugam, quae statim memoratur, incidere in annum a. Chr. 412. vel 411 = Olymp. 92, 1 vel 2. quo anno Lysias orator, qui et ipse illuc concesserat, Atticis accusatus cum trecentis aliis expulsus est. v. Taylor Vit. Lys. p. 111. Nam Thuriarum civitatem plus quam semel intestinis motibus concussam esse novimus. Pro φεύ-

ποθέν εἰσιν ἐκ Χίου, ἀπώκησαν δὲ ἐς Θουρίους· φεύγοντες δὲ ἐκείθεν πόλλ' ἤδη ἔτη περὶ τούδε τοὺς τόπους διατρίβουσαν. ὁ δὲ σὺ ἐρωτᾷς τὴν σοφίαν αὐτοῖν, Θαυμασία, ὡ Κρίτων· πάνσοφοι ἀτεχνῶς. ὡς

Florentini Θαυμασία. Vulgo legebatur Θαυμάσι' ὡ Κρίτων. Dein Par. B. a pr. m. πάνσοφοι, quod recepit Bekkerus. Nos meliorum codicum auctoritatem in talibus sequendam duximus. conf. Schneider. ad Remp. X. p. 598. D. Lobeck. ad Aiacem p. 369. ed. sec. qui quae disputavit, ea πάνσοφον analogia certissima defendunt.

γοντες quod olim cum Heindorfio incertus haesi, num φεύγοντες esset praefendum, noli dubitare, quin vera sit lectio vulgata. Xenoph. Hellen. I. 3, 13 ἤδη φεύγον ἐκ Συρακουσῶν. Anab. I. 3, 3 φεύγοντά με ἐκ πατρίδος τὰ τε ἄλλα ἐπέλασε καὶ τ. λ. ubi v. Krüger. coll. Pinzgero ad Lycurg. adv. Leocrat. c. 6. et Blumio ibid. c. 13, 1. Omnino autem de hoc usu participii praesentis v. Matthiae ad Eurip. T. VII. p. 351. Poppo ad Thueyd. T. I. p. 152. Fritsche Quaestionn. Lucian. p. 113 sq.

ὁ δὲ σὺ ἐρωτᾷς. —] Recte interpretatur Pinzgerus: Quod autem ad id attinet, quod tu de eorum sapientia quaeris. v. Matthiae Gr. T. II. p. 894. §. 478. ann. ad Phaedr. p. 251. C. Aliter accepit Heindorfius, qui τὴν σοφίαν αὐτοῖν pronomini ὁ per epexegetin additum putat. Dein vulgo legebatur Θαυμάσι' ὡ Κρίτων, πάνσοφοι ἀτεχνῶς. Sed Θαυμάσι' ὡ Κρίτων a prosae orationis scriptoribus dictum esse pro ὡ Θαυμάσιαι Κρίτων, nunc ne Lobeckio quidem ad Phrynich. p. 565. affirmanti crediderim. conf. Hermann. ad Hymn. Hom. in Apol. v. 14. Accedit quod haec compellatio per se spectata ab hoc

loco aliena est. Hoc ipsum, ni fallor, sentiens A. Matthiae gr. Gr. p. 849. correxit: Θαυμάσι', ὡ Κρίτων, ὡς πάνσοφοι, collato Euripide Iphig. Aul. v. 948. Θαυμαστά δ' ὡς ἀνάξια ἤτιμασμένῃ, qui tamen locus alius generis est, siquidem ibi Θαυμαστά ὡς ἀνάξια in unum coniungendum. Alia medicina usus Heindorfius legendum censet vel Θαυμάσιαι (εἶπαν), ὡ Κρίτων, vel Θαυμάσιω, ὡ Κρίτων, πάνσοφοι ἀτεχνῶς, vel ὡ Θαυμάσιαι Κρίτων. Quorum nihil satisfacit. Lenius Winckelmannus scripsit: Θαυμάσι', ὡ Κρίτων, πάνσοφοι ἀτεχνῶς, ut Θαυμασία πάνσοφοι cohaerent. Verum etsi σοφός ita eum accusativo connectitur, veluti infra p. 273. C. τὸ ἀνδρὸς σοφῶ οὐ τὰ σμικρὰ ἀλλὰ τὰ μεγάλα, tamen qui πάνσοφος eo modo construxerit, ego novi neminem. Recte codices aliquot habent: Θαυμασία, ὡ Κρίτων, quod Pinzgerus summo iure amplexus est. Nam quod Winckelmannus dicit ita nullam fore orationis cohaerentiam, asyndeton hoc egregie sermonis vigori et alacritati convenit. Germanice dixeris: Wenn du aber nach ihrer Weisheit fragst, so ist sie ganz wunderschön, o Kriton; ganz allweise Leute sind sie.

ἔγωγε οὐδ' ἤδη πρὸ τοῦ, ὅ τι εἶεν οἱ παγκρατιασταί.
 τούτω γὰρ ἔστον κομιδῇ παμμάχῳ, οὐ κατὰ τὸ
 Ἀκαρνᾶνε τὸ παγκρατιαστὰ ἀδελφῷ· ἐκείνω μὲν γὰρ
 D τῷ σώματι μόνον οἶω τε μάχεσθαι· τούτω δὲ πρῶ-
 τον μὲν τῷ σώματι δεινотάτω ἔστον, καὶ μάχῃ, ἣ
 πάντων ἔστι κρατεῖν· ἐν ὅλοις γὰρ αὐτῷ τε σοφῶ
 272 πάνυ μάχεσθαι καὶ ἄλλον, ὃς ἂν διδῶ μισθόν, οἶω τε

ὡς ἔγωγε οὐκ ἤδη] Pro ὡς ἔγωγε Bodl. Vind. et Vat. Θ.
 τῶγε. Vat. r. τῶδε, hac verborum distinctione facta: ἀτεχνῶς
 τῶγε s. τῶδε· οὐδ' ἤδη πρὸ τοῦ κ. τ. λ. ex quo liquida est er-
 roris causa et origo. Pro ἤδη, quod hic tuentur Bodl. Vat Θ.,
 vulgo erat ἤδειν. v. Photium ap. Pierson. ad Moer. 173.

D. κατὰ τὸ Ἀκαρνᾶνε] Bod. Vat. Θr. Vind. Ἀκαρνᾶνε
 ἐγενέσθη τὸ παγκρ. quod ex glossemate fluxisse mihi plane per-
 suasi.

ἣ πάντων ἔστι κρατεῖν] ἔστι om. Bodl. Vat. Θ. Ante
 Bekkerum ἔστι scribebatur.

ὡς ἔγωγε οὐδ' ἤδη πρὸ
 τοῦ, ὅ τι εἶεν —] Nam
 equidem ne noveram qui-
 dem antea, quid essent
 pancratiastae; (sc. sed nunc
 demum id cognovi; quod facile
 apud animum suppleveris.) hi
 enim prorsus in omni
 certaminum genere ver-
 santur, dissimiles Acar-
 nanibus illis fratribus,
 qui non nisi corporis cer-
 tamina instituebant etc.
 Itaque Socratem apparet eos de-
 mum perfectos pancratiastas iudicare,
 qui viribus et corporis
 et animi possint cum aliis de-
 certare, adeoque lepida urbanitate
 vulgarem vocabuli usum
 etiam ad contentiones forenses
 et dialecticas disputationes tra-
 ducere, in quibus Euthydemus
 et Dionysodoros valde exercitati
 fuisse perhibentur. Ad ὅ τι εἶεν
 non inepte comparaveris Gorg.
 p. 448. B. τί ἂν αὐτὸν ἀνομι-
 ζομεν δικαίως; οὐχ ὅπερ ἐκεί-
 νον; v. Matthiae Gr. §. 420.
 p. 769. Dictionem οὐ κατὰ τὸ
 Ἀκαρνᾶνε illustrabunt illa Apo-
 log. p. 17. B. ὁμολογοῦν ἂν

ἔγωγε οὐ κατὰ τοῦτους εἶναι ὀη-
 τῶν. Itaque locus sane expedi-
 tus est et facilis intellecto,
 quem miror a recentissimo
 enarratore corruptum dicitari.
 Nam Winckelmannus ali-
 quot codicum vestigia secutus
 eum hunc in modum corrigend-
 um statuit: ὡς γέ — οὐδ' ἤδη
 πρὸ τοῦ, ὅ τι εἶεν οἱ παγκρα-
 τιασταί· τούτω γὰρ ἔστον κομιδῇ
 παμμάχῳ, — οὐ κατὰ τὸ Ἀκαρ-
 νᾶνε ἐγενέσθη τὸ παγκρατιαστὰ
 ἀδελφῷ. Pro quibus equidem ex-
 pectaverim potius haec: οὐδὲ
 γὰρ ἤδη — τοῦτω δέ. — Sed
 nimirum in fraudem inductus
 est vir doctus eo, quod liber
 Bodl. cum tribus aliis pro ὡς
 ἔγωγε scriptum habent τῶγε vel
 τῶδε, qui manifestus est error
 scribarum, et quod iidem libri
 post Ἀκαρνᾶνε inserunt ἐγενέ-
 σθη, quod e glossemate flux-
 isse arbitramur, propterea in-
 sertio, quod grammatici vitio-
 sum illud τῶγε vel τῶδε aliter
 explicare non possent.

D. καὶ μάχῃ, ἣ π.] Recte
 Ficinus: et eo genere pug-
 nae, quo omnia superan-

ποιῆσαι· ἔπειτα τὴν ἐν τοῖς δικαστηρίοις μάχην κρα-
 τίστω καὶ ἀγωνίσασθαι καὶ ἄλλον διδάξαι λέγειν τε
 καὶ συγγράφασθαι λόγους οἴους εἰς τὰ δικαστήρια.
 πρὸ τοῦ μὲν οὖν ταῦτα δεινῶ ἤστην μόνον, νῦν δὲ
 τέλος ἐπιτεδείκατον παγκρατιαστικῇ τέχνῃ. ἣ γὰρ ἦν
 λοιπῇ αὐτοῖν μάχῃ ἀργός, ταύτην νῦν ἐξείργασθον,
 ὥστε μὴδ' ἂν ἕνα αὐτοῖς οἶόν τ' εἶναι μὴδ' ἀντᾶραι·

P. 272. παγκρατιαστικῇ τέχνῃ] Ante παγκρατιαστικῇ
 Heindorfus articulum τῇ desiderat, quem eodd. non suppedita-
 runt. Nec eo opus esse puto, siquidem non vulgaris illa pan-
 cratiastarum ars intelligitur, sed ea potius, quam philosophus
 nunc mente et animo suo informavit, et quae etiam dialecticam
 comprehendit facultatem.

 Bodl. Vat. Θ. Ven. ΞΣ. Par. C. Angel. Barb. Pal. Flor. a. c. o.
 ἢ habent. In Coisl. est ἦ. Verum exhibent cum Ald. et Bass.
 editt. codices Vat. r. Par. BE. Flor. b.

καὶ δὲ ἄλλῳ] ἄ Bodl. Vat. Θ.

quae respondet fere Germanico:
 da haben wir! ad Symp. p.
 210. E. Charmid. p. 166. B.
 Phaedr. p. 241. D. et alibi, ex-
 plicavimus.

C. Προστίθει τοίνυν
 ἤδη —] Exultans de victoria,
 quam sibi videtur reportavisse,
 exclamat: iam igitur quid-
 vis addas licet! cuncta
 enim te scire fateris.
 Quod enim Socrates respondit
 monstri simile fore, si ἅπαντα
 quidem, nec vero πάντα cognita
 haberet, id sophista sic accipit,
 ac si ille se πάντα novisse ul-
 tro concessisset, ideoque etiam
 ἅπαντα scire fateretur. Perpe-
 ram igitur Schleiermache-
 rus pro vulgato ἅπαντα γὰρ
 ὁμολογεῖς legendum censet πάν-
 τα γὰρ ὁμολογεῖς, quod nec

proxima Socratis responsio fla-
 gitat.

ἐπειδήπερ γε οὐδεμίαν
 — πάντα δὲ ἐπίσταμαι]
 quandoquidem nihil va-
 let quod antea addidi ἄ
 ἐπίσταμαι, sed simpliciter
 πάντα ἐπίσταμαι, h. e. sed me
 simpliciter omnia scire aio.
 Nam ita hic locus intelligendus
 est, in quo explicando miror vi-
 ros doctos adeo se torsisse. Nam
 Heindorfius verba πάντα
 δὲ ἐπίσταμαι abesse mavult.
 Schleiermacherus pro δὲ
 legendum putat δῆ; denique re-
 centissimus libri interpretes δὲ
 censet redordiri sermonem ver-
 bis ἐπειδήπερ γε κ. τ. λ. in-
 terruptum. Quorum omnium
 nihil est quod ad rectam ratio-
 nem perducatur.

σθαι τούτω, ᾧ ἐπίστασαι, εἴτε ὅταν ἐπίστη εἴτε ὅπως βούλει· αἰεὶ γὰρ ὁμολόγηκας ἐπίστασθαι καὶ
D αἶμα πάντα. δῆλον οὖν, ὅτι καὶ παῖς ὢν ἠπίστω, καὶ ὅτ' ἐγγυον, καὶ ὅτ' ἐγγύον· καὶ πρὶν αὐτὸς γενέσθαι, καὶ πρὶν οὐρανὸν καὶ γῆν γενέσθαι, ἠπίστω ἅπαντα, εἴπερ αἰεὶ ἐπίστασαι. καὶ ναὶ μὰ Δία, ἔφη, αὐτὸς αἰεὶ ἐπιστήσοι καὶ ἅπαντα, ἂν ἐγὼ βούλωμαι. Cap. XXIII. Ἀλλὰ βουληθεῖς, ἦν δ' ἐγώ, ᾧ πολυτιμητὲς Εὐθύδημε, εἰ δὴ τῶ ὄντι ἀληθῆ λέγεις. ἀλλ' οὐ σοὶ πάνυ πιστεύω ἰκανῶ εἶναι, εἰ μὴ σοὶ συμβου-

D. ᾧ πολυτιμητὲς Εὐθύδημε] Steph. πολίτιμε quod solus Par. E. tuetur. v. Heindorf. ad h. l. Ammonius p. 118. ed. Valck. Thomas M. Lobeck. ad Sophocl. Aiac. p. 120.

εἰ μὴ σοὶ συμβουληθεῖς] βουληθεῖς Bodl. Vat. Θ. Par. C. Barber. errore manifesto, quem adscivit Winckelm. Fieri tamen potest, ut σοὶ abiciendum sit.

οὐτῶ δὲ τάχ' ἄν] δε om. Bodl. Vat. Θ. quo arrepto Winckelmannus scripsit: Διονυσόδωρος οὕτω. τάχα ἄν· εἶπετον δὲ μοι.

εἴτε, ὅταν ἐπ. εἴτε ὅπως βούλει] h. e. sive addas tuum istud ὅταν ἐπίστωμαι, sive quid aliud volueris, veluti, quo paulo ante utebaris, αἶ γε ἐπίσταμαι. Nam ita haec accipienda sunt, absque quoque est prorsus quod Winckelmannus εἴτε ὅπως βούλει vult significare sive nec sis.

D. αἰεὶ ἐπίστωσαι] Molestum esse, imo prorsus absurdum istud αὐτὸς, neminem fore speramus quin Heindorfio lubens concedat. Itaque aut αἰεὶ legendum videtur, quod saepe numero est in posterum, postero tempore, aut, quod placuit Heindorfio, corrigendum εὐθύς. Sententia haec est: et mehercule etiam futuro tempore cuncta atque semper scire videberis, si ego id disputando efficere voluero.

ἀλλ' οὐ σοὶ πάνυ π. —] At non sane credo te esse

idoneum ad hoc efficiendum, nisi frater tuus Dionysodorus idem voluerit: ita enim forsitan id efficietis. Ridet enim Socrates et pungit Euthydemum, qui antea ab ipso erat reductus in angustias. Quocirca Dionysodori auxilio opus fore significat, quandoquidem ita futurum sit, ut amborum cavillationibus ipsi sit concedendum. Verbum συμβουληθεῖς infra p. 298. C. et Lachet. p. 188. E. eodem modo positum. Quod Bodl. et Vat. cum duobus aliis βουληθεῖς habent, susceptum illud nuper a Winckelmanno, vereor equidem ne haec scriptura errore nata sit. Fortasse enim scriptum fuit olim: εἰ μὴ συμβουληθεῖς, quemadmodum etiam p. 298. C. datus desideratur. Deinde cur οὕτω τάχ' ἄν omis- sa conjunctione γὰρ dicatur, nemini erit obscurum. Adduntur enim haec verba explicatio- nis gratia. Itaque quod vulgo

ληθεῖν ὁ ἀδελφός σου οὕτωσι Διονυσόδωρος· οὕτω τάχ' ἄν. εἶπετον δὲ μοι, ἦν δ' ἐγώ, — τὰ μὲν γὰρ ἄλλα οὐκ ἔχω ὑμῖν πῶς ἀμφισβητοῖην, οὕτως **E** εἰς σοφίαν τερατώδεσιν ἀνθρώποις, ὅπως οὐ πάντα ἐγὼ ἐπίσταμαι, ἐπειδὴ ὑμεῖς γατὲ· τὰ δὲ τοιαῦτα πῶς γὰρ ἐπίστασθαι, Εὐθύδημε, ὡς οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες ἀδικοὶ εἰσι; φέρε εἰπέ, τοῦτο ἐπίσταμαι ἢ οὐκ ἐπίσταμαι; Ἐπίστασαι μὲντοι, ἔφη, Τι; ἦν δ' ἐγώ. Ὅτι οὐκ ἀδικοὶ εἰσιν οἱ ἀγαθοὶ. Πάνυ γε, ἦν δ' ἐγώ, πάλα. ἀλλ' οὐ τοῦτο ἐρωτῶ· ἀλλ' ὡς 297

Mihi δε extruso vulgata verborum distinctio servanda visa est.

E. οὐ πάντα ἐγὼ ἐπίσταμαι] ἐγὼ om. Bodl. ante οὐ ponit Vat. r. Dein vulgo scribitur ἐπειδήπερ ὑμεῖς γατὲ. Coisl. Ven. 22. Par. BC. Angel. Barb. Pal. Urb. Vat. r. Flor. a. b. c. o. ed. Bas. 2. ἐπειδὴ γε, probante Winckelmanno. Routhius coni. ἐπειδήπερ γε, sicuti est p. 296. C. Bodl. Vat. Θ. neque περ neque γε habent, atque ita edere non dubitavi.

ὡς οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες] οἱ om. Steph. cum Par. E. Flor. b.

scribatur οὕτω δὲ τάχ' ἄν, id ex glossamate natum est. Ad τάχ' ἄν liquet ex antecedentibus intelligendum esse ἰκανός εἰς. Aliiter totum locum constituit Winckelmannus, qui ita scripsit: εἰ μὴ σοὶ βουληθεῖς ὁ ἀδελφός σου οὕτωσι Διονυσόδωρος οὕτω· τάχα ἄν· εἶπετον δὲ μοι, κ. τ. λ. ut ad τόχα ἄν intelligendum sit βουληθεῖς. Quae ratio vel ideo displicet, quia οὕτω in clausula collocatum nescio quid molestiae affert; nec τάχα ἄν caret offensione.

E. πῶς ἀμφισβητοῖην — ὅπως οὐ πάντα] Assentior Heindorfio πῶς ἄν ἀμφ. corrigenti. Nam ἄν omisso sententia haec existeret: non habeo quomodo me dubitare existimem s. velim; quod quam sit perversum et ineptum, nemo erit qui protenus sentiat. Iungenda autem verba sunt hunc in modum: πῶς ἄν ἀμφισβητοῖην, ἅσως οὐ πάντα ἐπίσταμαι, de ceteris quidem

quomodo possum dubitare, qui non (i. e. quin) omnia sciam; nam ὅπως est quomodo, poniturque sic post verba sentiendi, dicendi, significandi, non ita raro, v. praeter interpretes ad h. l. Matthiae Gr. p. 1267.

τὰ δὲ τοιαῦτα πῶς γὰρ —] Illud negat a se intellectum, bonos viros esse iniustos. Vult enim Euthydemum commovere, ut de hac re disserere secum instituat. Hic quoque Socratem videmus dialecticam referre ad quaestiones de rebus turpibus et honestis, quum Euthydemus et Dionysodori ars unice necandis argutis conclusionibus et ad facum faciendum comparatis contineatur.

Tl; ἦν δ' ἐγώ. Ὅτι οὐκ ἀδικοὶ —] Euthydemus quia fraudulentus et captiosus respondit Ἐλοῖσθαι, omissa rei, quae sciatur, commemoratione, Socrates ne quod homini effugium relinquatur, nunc quaerit, quidnam illud sit, quod ipsius

ἀδικοὶ εἰσιν οἱ ἀγαθοί, ποῦ ἐγὼ τοῦτο ξυμῆτον; Οὐδαμοῦ, ἔφη ὁ Διονυσόδωρος. Οὐκ ἄρα ἐπίσταμαι, ἔφη, τοῦτο ἐγώ. Διαφθεῖρεις, ἔφη, τὸν λόγον, ὁ Εὐθύδημος πρὸς τὸν Διονυσόδωρον, καὶ φανήσεται οὐτοσί οὐκ ἐπιστάμενος, καὶ ἐπιστήμων ἅμα ὢν καὶ ἀνεπιστήμων. Καὶ ὁ Διονυσόδωρος ἠρυθρίασεν. Ἄλλὰ σύ, ἦν δ' ἐγώ, πῶς λέγεις, ὦ Εὐθύδημε; οὐ δοκεῖ σοι ὀρθῶς ἀδελφὸς λέγειν ὁ πάντα εἰδώς; Ἀδελφὸς γάρ, ἔφη, ἐγώ εἰμι Εὐθύδημος, ταχὺ ὑπολαβὼν ὁ Διονυσόδωρος; Καγὼ εἶπον, Ἐασον, ὦ γαθέ, ἕως ἂν Εὐθύδημός με διδάξῃ, ὡς

P. 297. B. ὀρθῶς ἀδελφὸς λέγειν] V. ὁ ἀδελφός. Sed articulum libri omnes praeter Par. E. Barb. Flor. b. o. et pr. Coisl. ignorant. Itaque cum Bekkero scripsi ἀδελφός.

C. εἰ μίαν κεφαλὴν ἀποτρ.] εἰς μίαν Bodl. Vat. Θ. Iidem cum Vat. r. et Vindob. deinceps pro ἀποτμηθῆναι τοῦ λόγου scriptum habent τοῦ λόγου τις ἀποτμή. Creuzer. εἰ μίαν κεφαλὴν τοῦ λόγου τις ἀποτμή. Hinc Winckelmannus dedit: εἰ εἰς μίαν κεφαλὴν τοῦ λόγου τις ἀποτμή. Mihi in illo εἰς μίαν latere videtur scriptura εἰ τις μίαν. Videtur autem iam antiquitus διτογραφία

iudicio sciat. Tum vero ille protenus sententiam a Socrate propositam pervertit atque respondet: *Οτι οὐκ ἀδικοὶ εἰσιν οἱ ἀγαθοί.* Hanc loci rationem non perspiciens Serranus pro οὐκ ἀγαθοί legendum censuit ἀδικοί.

P. 297. B. οὐ δοκεῖ σοι ὀρθῶς ἀδελφὸς λέγειν —] Quia libri plerique omnes ὁ articulum omittunt, non videtur recte dubitari posse, quin hic quoque crasis illa oblitterata sit, quae dici non potest quam saepe fuerit a scribis vel ignorata vel neglecta. Enimvero etsi nomina consanguinitatem et affinitatem significantia articulo subinde carere certis exemplis demonstravit Schaeferus Melet. Critt. p. 45. et 116, tamen apud prosae orationis scriptores hoc ita demum

fieri solet, si non de uno aliquo atque certo homine cogitandum est, sed patris, matris, fratris in universum mentio sit. v. ad Lachet. p. 179. A. cuius loci rationem Winckelmannus non videtur perspectam habuisse. Aliter iudicandum est de verbis proxime sequentibus, in quibus ἀδελφός praedicati munere fungitur. Ceterum Dionysodorum apparet fratri laboranti opem laturum continuo aliam inferre interrogatiunculam atque disputationis cursum alio flectere conari.

καὶ τοῦ ἑτέρου ὑμῶν] inferior sum vel alterutro vestrum; multo minus igitur pugnam et contentionem cum utroque suscipere possum.

C. πολὺ γὰρ ποῦ εἰμι φ.] Fuit qui istud non Socratis urbanitati parum convenire exi-

ἐπίσταμαι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ὅτι ἀδικοὶ εἰσι, καὶ μὴ μοι φθονήσης τοῦ μαθήματος. Φεύγεις, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ὁ Διονυσόδωρος, καὶ οὐκ ἐθέλεις ἀποκοινεσθαι. Εἰκότως γ', εἶπον ἐγώ. ἦταν γάρ εἰμι καὶ τοῦ ἑτέρου ὑμῶν, ὥστε πολλοῦ δέω μὴ οὐ δύο γε φεύγειν. πολὺ γάρ ποῦ εἰμι φανλότερος τοῦ Ἡρακλέους, ὃς οὐχ οἶός τε ἦν τῇ τε ὕδρα διαμάχεσθαι, σοφιστρία οὔση καὶ διὰ τὴν σοφίαν ἀνείσῃ, εἰ μίαν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι τοῦ λόγου, πολλὰς ἀντὶ τῆς μᾶς, καὶ καρκίνω τινὶ ἑτέρω σοφιστῇ, ἐκ θαλάττης ἀφγμένω, νεωστί, μοι δοκεῖν, καταπεπλευκότε.

hic locum habuisse, unde apparet, qui fiat, ut plerique eodd. ἀποτμηθῆναι tueantur, quod fateor mihi altero illo praestabilius videri. Pro τοῦ λόγου Vindob. in marg. τοῦ δλου.

καρκίνω τινὶ ἑτέρω] Sic Bodl. Vat. Θ. Coisl. Vind. Par. C. Barb. Urb. pro vulg. ἑτέρω τινι. Mox Bodl. Vat. Θ. νεωστί μοι μοι δοκεῖν. Unde Winckelm. scribendum coniecit: νεωστί τινὶ μοι δοκεῖν. Nec τις ita repetitum insolens; v. Porson. Addend. ad Hecub. p. 100 sq. ed. tert. Lips. Meinek. ad Menandr. p. 50.

stimaret. Qua in re vir doctus egregie fallitur. Constat enim non saepe usurpari ab iis, qui alterius expectant assensionem. Elegantissima vero est quae sequitur comparatio, ducta illa a proverbio πρὸς δύο ὁδὸν Ἡρακλῆς, de quo v. etiam Phaedon. p. 89. C. Etenim festive sophistae cum hydra et cancro comparantur. Quod eo est elegantius, quia cancerum in fabulis narrant hydrae adversus Herculeum suppetias tulisse. v. Apollodor. Bibl. II. 5, 2. ibique Heynium. Itaque facile apparet alteri hydrae, alteri cancri partes a Socrate tribui. Ceterum apte comparavit Winckelmannus fragmentum Platonis Comici ap. Schol. Aristoph. 792. in Σοφιστικῆς Ξενοκλῆς δὲ δωδεκαμήχανος ὁ Καρκίνου παῖς τοῦ Θαλακτίου; quod tamen non

contendam philosopho ob oculos versatum esse.

εἰ μίαν κεφαλὴν — τοῦ λόγου] Winckelmannus e codicum quorundam vestigiis non dubitavit scribere: εἰ εἰς μίαν κ. τ. τις ἀποτμή, idque dicit certissime a se restitutum esse. Mihi secus videtur. Nam isti εἰς quidem hic locus non est propterea, quod in hac secundaria enuntiati parte nulla vis oppositionis continetur. Dein istud τοῦ λόγου ne quem male habeat, bene tenendum hydram informari tanquam sophistram. νεωστί, μοι δοκεῖν, καταπεπλευκότε] Tangit sophistas, qui nuper demum Athenas appulerant, maxime Dionysodorum. Pro μοι ne cum Heindorfio requiras ἑμοί, conf. annot. ad Phaedr. p. 258. A. Ion. p. 535. B.

ὅς ἐπειδὴ αὐτὸν ἐλύπει οὕτως ἐκ τοῦ ἐπ' ἀριστερὰ λέγων καὶ δάκνων, τὸν Ἰόλεω τὸν ἀδελφιδοῦν βοήθον ἐπεκαλέσατο, ὃ δὲ αὐτῷ ἰκανῶς ἐβοήθησεν. ὃ δ' ἐμὸς Ἰόλεως Πατροκλῆς εἰ ἐλθοι, πλεον ἂν θάτερον ποιήσειεν. Cap. XXIV. Ἀποκρίναι δὴ, ἔφη ὁ Διονυσόδωρος, ὅποτε σοι ταῦτα ὑμνηται· πότερον ὁ Ἰόλεως τοῦ Ἡρακλέους μᾶλλον ἢν ἀδελφιδούς ἢ σός; Κρατίστον τοίνυν μοι, ὦ Διονυσόδωρε, ἢν δ' ἐγὼ, ἀποκρίνασθαι σοι. οὐ γὰρ μὴ ἀνῆς ἐρωτῶν, (σχεδὸν τι ἐγὼ τοῦτ' εὖ οἶδα), φθονῶν καὶ διακωλύων, ἵνα μὴ διδάξῃ με ὁ Εὐθύδημος ἐκείνο τὸ σοφόν. Ἀποκρίνου δὴ, ἔφη. Ἀποκρινούμαι δὴ, εἶπον, ὅτι τοῦ Ἡρακλέους ἢν ὁ Ἰόλεως ἀδελφιδούς, ἐμὸς δ', ὡς

ἐκ τοῦ ἐπ' ἀριστερὰ] ἀριστερὰ Coisl. Par. E. Angel. v. Lobeck. ad Phryn. p. 259.
D. διδάξῃ με ὁ Εὐθ.] Articulum e Vat. G. inseruit

οὕτως ἐκ τοῦ ἐπ' ἀριστερὰ λέγων] Recte Schleiermacher vertit: so von links her: quo tecte significatur Dionysodorus. Nam p. 271. B. ὃ δὲ παρ' ἐμὲ καθήμενος ἐξ ἀριστερᾶς ἀδελφός τούτου Διονυσόδωρος. De οὕτως v. ad. Sympos. p. 176. E. Istud ἐκ τοῦ ἐπ' ἀριστερὰ dictum ut ἐκ τοῦ ἐπ' ἄτερα, ἐκ τοῦ ἐπ' πλείστον, alia id genus multa. conf. Lobeck. ad Phrynich. p. 259.

D. ὃ δ' ἐμὸς Ἰόλεως Πατροκλῆς εἰ ἐλθοι] „Huius hominis non alibi mentionem facit Plato neque alius quisquam scriptor, nisi quis cum Hemsterhusio ad Luciani Somn. §. 12. suspicetur eundem hunc esse Patroclum statuarium, quem Olymp. XCV. floruisse perhibet Plinius Hist. Nat. 37. 8. conjecturam probabili.“ Heindorf. Hunc Socratis fratrem tangi ab Aristophane Avv. v. 794 sqq. Plat. v. 84 sq. scita est coniectura Winkelmann-

nI. Non sine ioco eius mentionem hic inieci manifestum arbitror. Videtur enim fuisse omnis eruditionis expertus et ad disserendum parum idoneus. De formula πλεον θάτερον ποιῆν, malam rem etiam peiorem reddere, v. ad p. 280. E.

ὅποτε σοι ταῦτα ὑμνηται] quandoquidem ista garrivisti; de quo usu verbi ὑμνεῖν v. Ruhnken. ad Tim. p. 262 sq. Iam vero quoniam Socrates fratris sui ideoque consanguinei mentionem iniecit, Dionysodorus inde novam captat argutandi materiam adeoque sciscitatur, fueritne Iolaeus magis (in höherm Grade) Herentis ἀδελφιδούς, quam Socratis. Quam sermonis conversionem non satis percipientes Heindorfius, Schleiermacher et Groen van Prinsterer Prosopogr. Plat. p. 160. paullo ante Patroclis nomen delendum iudicant: quo extruso vereor ne locus magna

ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδ' ὅπωςτιοῦν. οὐ γὰρ Πατροκλῆς ἦν E αὐτῷ πατήρ, ὃ ἐμὸς ἀδελφός, ἀλλὰ παραπλήσιον μὲν τοῦνομα Ἰφικλῆς, ὃ Ἡρακλέους ἀδελφός. Πατροκλῆς δὲ, ἢ δ' ὅς, σός; Πάνυ γ', ἔφη ἐγὼ, ὁμομητριός γε, οὐ μὲντοι ὁμοπάτριος. Ἀδελφός ἄρα ἐστὶ σοι καὶ οὐκ ἀδελφός. Οὐκ ὁμοπάτριός γε, ὦ βέλτιστε, ἔφη· ἐκείνου μὲν γὰρ Χαιρέδημος ἦν πατήρ, ἐμὸς δὲ Σωφρονίσκος. Πατήρ δὲ ἦν, ἔφη, Σωφρονίσκος καὶ Χαιρέδημος; Πάνυ γ', ἔφη· ὁ μὲν γε ἐμὸς, ὃ δὲ ἐκείνου. Οὐκοῦν, ἢ δ' ὅς, ἔτε- 298 ρος ἦν Χαιρέδημος τοῦ πατρός; Τοῦμοῦ γ', ἔφη ἐγὼ. Ἄρ' οὖν πατήρ ἦν ἕτερος ὢν πατρός; ἢ σὺ εἶ ὁ αὐτὸς τῷ λίθῳ; Λέδοικα μὲν ἐγώ, ἔφη, μὴ

Bekker.

E. ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐδ' ὅπωςτιοῦν] V. δοκεῖν, quod soli tenent Par. CE. Barb. Flor. b.

laboraret obscuritate. Nec audiendus est Winkelmannus, qui ἢ ὃ σός, addito articulo, scribendum censet, quod a recta ratione abhorrere sequentia arguunt certissime.

ἐκείνο τὸ σοφόν] sc. ὅτι οἱ ἄγαθοὶ ἄνδρες ἀκόσῃ εἰσιν.

E. ἀλλὰ παραπλήσιον μὲν τοῦνομα Ἰφ.] „Haec fuit quum sic corrigenda viderentur, ἀλλὰ παραπλήσιος μὲν τοῦνομα, Ἰφικλῆς δὲ ὁ Ἡρακλ., nunc vulgatam scripturam teneo. Nam ut dicitur ἀνῆς ὄνομα Ἰφικλῆς, quidni itidem dicatur ἀνῆς παραπλήσιον τοῦνομα Ἰφικλῆς?“ Heindorf. Deinceps ἀλλὰ — μὲν non subsequente δὲ exemplis illustravit Heindorf. ad Theaet. p. 197. C. p. 201. B. et Winkelmann. ad h. I. Qui fiat, ut ἀλλὰ — μὲν saepissime ita dicatur, ex eo apparet, quod sententia per δὲ annexenda plerumque iam in praecedentibus verbis contine-

tur. Veluti hoc loco dici poterat etiam sic: παραπλήσιον μὲν τοῦνομα Ἰφικλῆς, ἢν δὲ οὐκ ἐκείνος αὐτῷ πατήρ. Criton. p. 43. D. οὔτοι ἀφίται, ἀλλὰ δοκεῖ μὲν μοι τῆμερον ἤσειν. ubi v. annot. De Rep. V. p. 475. E. οὐδαμῶς, εἶπον, ἀλλ' ὁμοίους μὲν φιλοσόφους.

P. 298. ὃ αὐτὸς τῷ λίθῳ] Pungit Socratem huius exempli commemoratione, siquidem Graeci lapidis nomine significarunt hominem stupidum. Socrates vero ita respondet, ut vocabulo alio sensu accepto de silentio cogitare videatur, ad quod metuendum sit ne istis cavillationibus redigatur. Apte contulit Heindorfius Sympos. p. 198. C. ἐφοβοῦμαι γὰρ μὴ μοι τελευτῶν ὁ Ἀγάθων Γοργίου κεφαλὴν δευοῦ λέγειν ἐν τῷ λόγῳ ἐπὶ τὸν ἐμὸν λόγον πειρῆς αὐτὸν με λίθον τῆ ἀφροσύνης ποιήσειεν.

φανῶ ὑπὸ σοῦ ὁ αὐτός· οὐ μέντοι μοι δοκῶ. Οὐκ οὖν ἕτερος εἶ, ἔφη, τοῦ λίθου; Ἐτερος μέντοι. Ἄλλο τι οὖν ἕτερος, ἢ δ' ὅς, ὡν λίθου οὐ λίθος εἶ; καὶ ἕτερος ὡν χρυσοῦ οὐ χρυσοῦς εἶ; Ἔστι ταῦτα. Οὐκοῦν καὶ ὁ Χαιρέδημος, ἔφη, ἕτερος ὡν πατρὸς

B οὐκ ἂν πατὴρ εἴη. Ἔοικεν, ἦν δ' ἐγώ, οὐ πατὴρ εἶναι. Εἰ γὰρ δήπου, ἔφη, πατὴρ ἐστὶν ὁ Χαιρέδημος, ὑπολαβὼν ὁ Εὐθύδημος, πάλιν αὖ ὁ Σωφρονίσκος ἕτερος ὡν πατρὸς οὐ πατὴρ ἐστὶν, ὥστε σύ, ὦ Σώκρατες, ἀπάτωρ εἶ. Καὶ ὁ Κτήσιππος ἐκδεξάμενος, Ὁ δὲ ὑμέτερος, ἔφη, αὖ πατὴρ οὐ ταῦτα ταῦτα πέπονθεν; ἕτερός ἐστι τοῦμοῦ πατρὸς; Πολλοῦ γ', ἔφη, δεῖ, ὁ Εὐθύδημος. Ἀλλά, ἢ δ' ὅς, ὁ αὐτός; Ὁ αὐτὸς μέντοι. Οὐκ ἂν συμβουλοῖ-

C μην. ἀλλὰ πότερον, ὦ Εὐθύδημε, ἐμὸς μόνος ἐστὶ πατὴρ ἢ καὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων; Καὶ τῶν ἄλλων, ἔφη· ἢ οἶει τὸν αὐτὸν πατέρα ὄντα οὐ πατέρα εἶναι; Ὡμην δῆτα, ἔφη ὁ Κτήσιππος. Τί δέ; ἢ δ'

P. 298. οὐκ ἂν πατὴρ εἴη] οὐ πατὴρ ἐστὶν Vindob. Vat. r. et ἴσων etiam Bodl. Vat. G.

B. ἐμὸς μόνος ἐστὶ π.] μόνος Bodl. Coisl. Vat. Gr. Ven. ΣΣ. Par. CE. Angel. Barb. Pal. Urb. modo pro vulg. μόνον cum Winckelmanno restitui. v. Bremi Exeurs. XI. ad Lys. p. 449 sq.

C. Ἰππων καὶ τῶν ἄλλων] Sic Ven. E. Vat. r. Angel.

Οὐκοῦν καὶ ὁ Χαιρέδημος —] De toto hoc sophismate v. Aristotel. De Sophist. Elench. V. 2, 3. XXIV. 1, 2.

B. Οὐκ ἂν συμβουλοῖ μην] V. ad Lachet. p. 189. A.

C. Μὴ γάρ, ἔφη ὁ Κτ., ὦ Εὐθύδημε· τὸ λεγόμεν.] Illud μὴ γάρ per se seorsum accipiendum, quo non animadverso Heindorfius ἀνάπτυξ legendum opinabatur. Exempla huius usus satis multa congressi ad Protagor. p. 334. E. Alcib. I. p. 75 B. al. Sententia verborum haec est: Noli ista in medium afferre; nam, quod in proverbio dici-

tur, οὐ λίθον λίθῳ συνάπτεις, i. e. non bene haec inter se componis. Schol. Λίθον λίθῳ συνάπτεις, ἐπὶ τῶν τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν ἢ λεγόντων ἢ δρώντων ἢ τὰ ὅμοια εἰς φιλίαν συναπτόντων. μέμνηται δὲ αὐτῆς Ἀριστοτέλης ἐν τῷ γ' τῆς φουκῆς ἀκροάσεως (III. 6, 9): οὐ γὰρ λίθον λίθῳ συνάπτειν ἐστίν. Στάτις Ποταμοῖς (lege Ποταμοῖς cum Hemsterhusio ad Arist. Plut. v. 470.) καὶ Πλάτων Εὐθύδημος. Similia habent Photius Lex. p. 224. 23. ed. Porson. Schol. Aristid. T. III. p. 501. ed. Dindorf. Simplicius ad Aristot. Phys. p. 117.

ὅς· χρυσὸν ὄντα μὴ χρυσὸν εἶναι; ἢ ἀνθρώπον ὄντα μὴ ἀνθρώπον; Μὴ γάρ, ἔφη ὁ Κτήσιππος, ὦ Εὐθύδημε· τὸ λεγόμενον, οὐ λίθον λίθῳ συνάπτεις; δεινὸν γὰρ λέγεις πρᾶγμα, εἰ ὁ σοὶς πατὴρ πάντων ἐστὶ πατὴρ. Ἄλλ' ἐστὶν, ἔφη. Πότερον ἀνθρώπων; ἢ δ' ὅς ὁ Κτήσιππος, ἢ καὶ ἵππων καὶ τῶν ἄλλων πάντων ζώων; Πάντων, ἔφη. Ἡ καὶ μήτηρ ἢ μή-

D τηρ; Καὶ ἢ μήτηρ γε. Καὶ τῶν ἐχίνων ἄρα, ἔφη, ἢ σὴ μήτηρ μήτηρ ἐστὶ τῶν θαλαττίων. Καὶ ἢ σὴ γ', ἔφη. Καὶ σὺ ἄρα ἀδελφὸς εἶ τῶν κωβίων καὶ κυναρίων καὶ χοιριδίων. Καὶ γὰρ σύ, ἔφη. Καὶ πρὸς ἄρα σοὶ πατὴρ ἐστὶ καὶ κύων. Καὶ γὰρ σοί, ἔφη. Αὐτίκα δὲ γε, ἢ δ' ὅς ὁ Διονυσόδωρος, ἂν μοι ἀποκρίνη, ὦ Κτήσιππε, ὁμολογήσεις ταῦτα. εἰπέ γάρ μοι, ἐστὶ σοὶ κύων; Καὶ μάλα πονηρός, ἔφη ὁ Κτήσιππος. Ἔστιν οὖν αὐτῷ κυνίδια; Καὶ μάλ',

E ἔφη, ἕτερα τοιαῦτα. Οὐκοῦν πατὴρ ἐστὶν αὐτῶν ὁ κύων; Ἐγώ γέ τοι εἶδον, ἔφη, αὐτὸν ὀχεύοντα τὴν

Vulgo ἵππων ἢ καὶ τῶν ἄλλων, quod mutavit Bekkerus. Alioquin post ἵππων ponenda est interrogatio nota.

D. Ἡ καὶ μήτηρ ἢ μήτηρ] Articulum om. Bodl. Vat. G. Urb. et pr. Coisl. post καὶ ponit rec. Coisl.

D. τῶν κωβίων] τῶν βοιδίων Bodl. Vat. G. τῶν ὄδιων Vindob. et in marg. γρηφ. κωβίων. Dein Coisl. καὶ τῶν κυναρίων. Mox Bodl. Καὶ γὰρ σὺ, ἔφη.

οὐ τα συγκλώθεισθαι περιφρονητικῶς. Suidas: οὐ λίθον λίθῳ συνάπτεις: ἐπὶ τῶν τὰ αὐτὰ μὴ διὰ τῶν αὐτῶν πρακτόντων. Videtur igitur et λίθον λίθῳ συνάπτεις et οὐ λίθον λίθῳ συνάπτεις usu celebratum fuisse. Ad proxima Schleiermachers conferri iussit Aristotel. De Sophist. Elench. V. 2, 3. XXIV. 1, 2. Vol. III. p. 532. et 610. ed. Bip.

D. τῶν κωβίων] „gobiorum, de quo piscium genere v. Schneider. Histor. Litterar. Piscium p. 46.“ Heindorf. Schol. ad h. I. τῶν ὄδιων.

τῶν κωβίων. Ex quo apparet olim aliud quid scriptum fuisse. Cod. Vind. τῶν ὄδιων. Bodl. Vat. G. τῶν βοιδίων. Alii τῶν κωβίων. Winckelmannus coniecit τῶν κώθων s. κωθῶων. Certe Athenaeus VII. p. 309. C. = p. 673. ed. Dind. Νομήτιος δ' ἐν Ἀλεντικῷ κώθους αὐτοῦς (τοῦς κωβίους) καλεῖ. De voc. κυναρίων v. Lobeck, ad Phrynich. p. 180.

E. ἕτερα τοιαῦτα] sc. πονηρά.

ὀχεύοντα τὴν κύνα] H. e. ἐπιβαίνοντα. Usus verbi tetigi ad Rempubl. V. p. 455. B.

κύνα. Τί οὖν; οὐ σός ἐστιν ὁ κύων; Πάνυ γ', ἔφη. Οὐκοῦν πατήρ ὢν σός ἐστιν, ὥστε σός πατήρ γίγνεται ὁ κύων καὶ σὺ κυναρίων ἀδελφός; Καὶ αὐθις ταχὺ ὑπολαβὼν ὁ Διονυσόδωρος, ἵνα μὴ πρότερόν τι εἴποι ὁ Κτήσιππος, Καὶ ἔτι γέ μοι μικρόν, ἔφη, ἀπόκριναί· τίπτεις τὸν κύνα τοῦτον; Cap. XXV. Καὶ ὁ Κτήσιππος γελάσας, Νῆ τοὺς θεοὺς, ἔφη· οὐ
299 γὰρ δύναμαι σέ. Οὐκοῦν τὸν σαυτοῦ πατέρα, ἔφη, τύπτεις; Πολὺ μέντοι, ἔφη, δικαιοτέρον τὸν ὑμέτερον πατέρα τύπτοιμι, ὃ τι μαθῶν σοφοὺς νείεις οὕτως ἔφυσεν. ἀλλ' ἢ που, ὦ Εὐθύδημε, ἔφη ὁ Κτήσιππος, πόλλ' ἀγαθὰ ἀπὸ τῆς ὑμετέρας σοφίας ταύτης ἀπολέλανκεν ὁ πατήρ ὁ ὑμέτερός τε καὶ τῶν κυνιδίων. Ἄλλ' οὐδὲν δεῖται πολλῶν ἀγαθῶν, ὦ Κτή-

E. ἵνα μὴ πρότερόν τι εἴποι] Sic Bodl. Vat. Θ. Angel. Vindob. Vulg. ἐπη, quod iam Heindorf. emendaverat.

P. 299. Πολὺ μέντοι, ἔφη] ἔφη om. Bodl. Dein Coisl. corr. ὃ τι παθῶν.

ὦ Εὐθύδημε, ἔφη ὁ Κτήσιππος.] ἔφη om. Vat. Θ. Vind. Ven. ΞΣ. Par. BCE. Angel. Barb. Pal. Urbin. Flor. b. o. et pr. Coisl.

καὶ τῶν κυνιδίων] Sic Vindob. Vulgo καὶ ὁ τῶν κυν. quod mutandum esse iam Heindorfius vidit.

μικρόν, ἔφη, ἀπόκριναί] spectes ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ. In antecedentibus Astius corrigendum censet δικαιότερον ἂν τὸν ὑμέτερον πατέρα τύπτοιμι. Sed optativus sine ἂν opinatiōnem loquentis significat cum voluntatis quadam significatione coniunctam. v. Hermann. De Particula ἄν p. 159 sq. πολλ' ἀγαθὰ — κυνιδίων] Quoniam sophistarum patrem a Ctesippo designari manifestum est, articulus ὁ ante τῶν κυνιδίων abiciendus fuit, quem miror a nupero editore esse conservatum. Sententiam verborum puto hanc esse: Multa vero bona ex hac sapientia ille vester et catulorum pater percepit, siquidem cum vel pessime tractare licebit.

σιππε, οὐτ' ἐκεῖνος οὔτε σὺ. Οὐδὲ σὺ, ἢ δ' ὅς, ὦ Εὐθύδημε, αὐτός; Οὐδὲ ἄλλος γε οὐδεὶς ἀνθρώπων. εἰπέ γάρ μοι, ὦ Κτήσιππε, εἰ ἀγαθὸν νομίζεις εἶναι ἀσθενοῦντι φάρμακον πιεῖν ἢ οὐκ ἀγαθὸν
B εἶναι δοκεῖ σοι, ὅταν δέηται· ἢ εἰς πόλεμον ὅταν ἦ, ὅπλα ἔχοντα μᾶλλον ἵκται ἢ ἄνοπλον. Ἔμοιγε, ἔφη. καίτοι οἶμαί τί σε τῶν καλῶν ἱερεῖν. Σὺ ἄριστα εἶσει, ἔφη· ἀλλ' ἀποκρίνον. ἐπειδὴ γὰρ ὁμολόγους ἀγαθὸν εἶναι φάρμακον, ὅταν δέη, πίνειν ἀνθρώπῳ, ἄλλο τι τοῦτο τὸ ἀγαθὸν ὡς πλείστον δεῖ πίνειν, καὶ καλῶς ἐκεῖ ἔξει, ἰάν τις αὐτὸ τρίψας ἐγκεράσῃ ἐλλεβόρου ἄμαξαν; Καὶ ὁ Κτήσιππος εἶπε, Πάνυ γε σφόδρα, ὦ Εὐθύδημε, ἰάν ἢ γε ὁ πίνων ὅσος ὁ ἀνδριάς ὁ ἐν Δελφοῖς. Οὐκοῦν, ἔφη, καὶ
C

B. εἶναι δοκεῖ σοι] Sic Bodl. Vat. Θ. Vindob. Coisl. Ven. Ξ. Urb. Legebatur olim σοι δοκεῖ.

ἄλλο τι τοῦτο τὸ ἀγαθόν] τὸ additum e Ven. ΞΣ. Par. C. Ang. Barb. Pal. Urb. Flor. a. b. c. o. et pr. Par. B.

αὐτὸ τρίψας] αὐτῷ Bodl. Vat. Θ. probante Winckelmanno.

C. ὅσος ὁ ἀνδριάς ὁ ἐν Δ.] Sic Bodl. Vat. Θ. Par. C. Barb. Flor. a. c. Legebatur olim ὁ σός ὁ ἀνδριάς.

εἰ ἀγαθὸν νομίζεις — πιεῖν] Conf. Aristotel. De Sophist. Elench. c. 4. p. 529. ed. Bip.

B. καίτοι οἶμαί τί — ἱερεῖν] quanquam vereor, ne captiosa sit rursus ista tua quaestio, alioque me denuo sophismate decipere velis. Τῶν καλῶν i. e. τῶν κομψῶν, ut alias vocantur a Socrate huiusmodi sophistarum commenta. Infra p. 302. A. ἦδη γὰρ οἶε ἔξ αὐτῶν καλῶν τι ἀνακίψου τὸ τῶν ἱεροτήματων. Heindorf. Deinde οὐ ἄριστα εἶσαι similiter dictum atque alibi τάχα εἶσαι. Pro ὁμολόγους, modo fatebaris, quod Heindorfius de coniectura dedit ὁμολογείς, id nec necessarium est nec a codicibus confirmatum.

καὶ καλῶς ἐκεῖ ἔξει] Recte Winckelmannus ἐκεῖ, ab Heindorfio aliisque in fraudis suspicionem vocatum, ita defendit, ut significare dicat in medicamento sumptione, ἐν τῷ τὸ φάρμακον πίνειν, qui vocabuli usus apud Platonem non ita rarus est. De usu hellebori v. intpp. ad Horat. Sermon. II. 3, 83. et Plinii H. N. 25, 5.

C. ὅσος ὁ ἀνδριάς ὁ ἐν Δελφοῖς] Quoniam statua intelligenda sit, non allunde constat. Plures enim statuas Delphis positas fuisse exploratum habemus.

ἐν τῷ πολέμῳ ἐπειδὴ ἀγαθὸν ἐστὶν ὄπλα ἔχειν, ὡς πλείστα δεῖ ἔχειν δόρατά τε καὶ ἀσπίδας, ἐπειδή περ ἀγαθὸν ἐστὶ; Μάλα δὴ πού, ἔφη ὁ Κτήσιππος· σὺ δ' οὐκ οἶσι, ὦ Εὐθύδημε, ἀλλὰ μίαν καὶ ἐν δόρου; Ἐγώ γε. Ἡ καὶ τὸν Γηρόνην ἄν, ἔφη, καὶ τὸν Βοιάρων οὕτω σὺ ὀπλίσις; ἐγὼ δὲ ὄμην σε δεινότερον εἶναι, ἅτε ὀπλομάχην ὄντα, καὶ τόνδε τὸν ἑταῖρον. Καὶ ὁ μὲν Εὐθύδημος ἐσίγησεν· ὁ δὲ Διονυσόδωρος πρὸς τὰ πρότερον ἀποκεκριμένα τῷ Κτησίππῳ ἤρετο, Οὐκοῦν καὶ χρυσίον, ἢ δ' ὅς, ἀγαθὸν δοκεῖ σοι εἶναι ἔχειν; Πάνν, καὶ ταῦτά γε πο-

D. ἀγαθὰ οὐ δοκεῖ σοι] ἀγαθὸν cum Steph. unus Ven. Z. Σφόδρα γ', [ἐφη] γ' additum est e Bodl. Vat. Gr. Coisl. Par. BC. Barb. Urb. Flor. b.

ἀλλὰ μίαν καὶ ἐν δόρῳ] Quam ad μίαν intelligendum sit ἀσπίδα, ne δόρου quidem ut adii- ceretur necessarium fuit. Nec tamen vocabulum invitis codicibus eliminandum putamus.

Γηρόνην — καὶ τὸν Βοιάρων] Legg. VII. p. 795. C. Γηρόνην δὲ γε εἰ τις φύσιν ἔχων ἢ καὶ τὴν Βοιάρων φύσιν, ταῖς ἑκατὸν χειρῶν ἑκατὸν δεῖ βέλη ἔλαττειν δυνατόν εἶναι. ubi vide Astium p. 349. Dein quod Heindorfius malebat καὶ οὐ — καὶ τόνδε τὸν ἑταῖρον, eo non opus est. Quemadmodum enim pronomem in oppositione subinde omittitur, de quo genere supra ad p. 295. A. explicavimus, ita ne enclitica quidem eius forma hoc in genere temere spernenda est. Apollonius De Syntax. p. 121 sq. πᾶσα γὰρ φωνὴ ἀντωνυμία συμπλεκόμενη ἐν τῷ οὐκ ἐστὶν. Διονυσίῳ ἐλάττει καὶ ἐμοί, Διονυσίῳ τιμᾷ καὶ ἐμέ. εἰ γούν (δ' οὖν) ἐκτός τοῦ συνδεσμοῦ γίνονται ἢ ἀντωνυμία, οὐ πάντως ὀρθοτομηθήσονται. ἐχαρίσατό σοι καὶ Διονυσίῳ, ἐτλησέ σε καὶ Διονυσίῳ. Supra p.

283. E. ὁ τε μαθὼν μου καὶ τῶν ἄλλων καταφείδει, ubi falluntur qui ἐμοῦ requirunt. Sophocli. Oedip. Col. v. 567. ἔσοις ἀνὴρ ὃν χρεὶ τῆς ἐξ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν πλέον μοι σοῦ μέτεστιν ἡμέρας. Eurip. Hippolyt. 323. ἐὰ μ' ἀμαρτεῖν, οὐ γὰρ εἰς ὃ ἀμαρτάνοι. Orest. v. 736. μή μ' ἰδεῖν θανόνθ' ἐπ' ἁσπῶν καὶ κραινῆτην ἐμήν. Ibid. v. 726. Μελέως κικιστός εἰς με καὶ κραινῆτην ἐμήν, ubi Porsonus dedit ἐς ἐμέ. Iphigen. Taur. 657. 1069. 1085. Aristoph. Rann. v. 504. Sophocli. Philoclet. v. 47. ὡς μάλλον ἂν ἴδοιτό μ' ἢ τοὺς πάντας Ἀργείους λαβεῖν, ubi v. Wunderum, Sophoclea comparantem.

D. Πάνν, καὶ ταῦτά γε πολὺ] Heindorfius requirebat Πάνν γε, καὶ ταῦτά γε πολὺ, sicuti est p. 297. E. πάνν γ', ἔφη, ὁ μὲν γε ἐμός. et p. 300. E. ἔγωγε, ἔφην, καὶ πολὺ γέ.

Οὐκοῦν ἀεὶ δεῖ — ἐν ἑαυτῷ] Observes quaeso formularum ambiguitatem; unde deinde ducitur argumentatio.

E. Φασί γε οὖν —] Optime

λύ, ἔφη ὁ Κτήσιππος. Τι οὖν; ἀγαθὰ οὐ δοκεῖ σοι χρήματα ἀεὶ τ' ἔχειν καὶ πανταχοῦ; Σφόδρα γ', ἔφη. Οὐκοῦν καὶ τὸ χρυσίον ἀγαθὸν ὁμολογεῖς εἶναι; Ὁμολόγηκα μὲν οὖν, ἢ δ' ὅς. Οὐκοῦν ἀεὶ δεῖ αὐτὸ ἔχειν καὶ πανταχοῦ καὶ ὡς μάλιστα ἐν ἑαυτῷ; καὶ εἴη ἂν εὐδαιμονέστατος, εἰ ἔχοι χρυσίου μὲν E τρία τάλαντα ἐν τῇ γαστρὶ, τάλαντον δ' ἐν τῷ κρανίῳ, στατήρα δὲ χρυσοῦ ἐν ἑκατέρῳ τῶφθαλμῷ; Φασί γε οὖν, ὦ Εὐθύδημε, ἔφη ὁ Κτήσιππος, τούτους εὐδαιμονεστάτους εἶναι Σκυθῶν καὶ ἀρίστους ἀνδρας, οἱ χρυσίον τε ἐν τοῖς κρανίοις ἔχουσι πολὺ

E. ἑκατέρῳ τῶφθαλμῷ] V. τῷ ὀφθαλμῷ. Illud tutum praestant Bodl. Vat. G. ZS. Par. BC. Angel. Barb. Flor. a. c.

Schleiermacherus: Sagt man doch auch, dass die glücklichsten und trefflichsten Männer sind unter den Scythen etc. Enimvero γούν et γε οὖν aliquantum inter se differant, siquidem altera vocula ab altera sciungitur, ubi γε vocabuli proxime praecedentis vim acuit, οὖν autem ratiocinationem loquentis cum assensione denotat. Exempla dabunt Schaefer. ad Dion. De Comp. Verb. p. 271. Schneider. ad Remp. I. p. 335. E.

ἐν τοῖς κρανίοις — τοῖς ἑαυτῶν] Hic aut diversa Platonem confudisse aut alium, quem sequeretur, auctorem quam Herodotum habuisse notavit Valckenar. ad Herodot. IV. 26. secundum Herodotum enim IV. 65. non parentum aut amicorum craniis usos Scythas tanquam poculis, sed hostium, quos interfecissent, aut inimicorum saltem; Issedones solos parentum suorum crania deaurata custodivisse et veluti ἀγάλματα veneratos esse, postquam cadaverum carnes cum aliis commixtas comedissent. At nulla

hic est parentum aut amicorum mentio; τὰ κράνια τῶν ἑαυτῶν, ipsorum crania, dicit Ctesippus eodem modo, quo ante Ctesippi canem, catulorum patrem, ipsius Ctesippi patrem dixerat sophista. Videlicet ut ibi ex hoc, πατήρ ὃν σὸς ἐστὶ, Dionysodorus illud fecerat, σὸς πατήρ ἐστὶ, eadem fallacia h. l. Ctesippus τὰ κράνια αὐτῶν ὄντα, crania, quae ipsi possident, convertit in τὰ ἑαυτῶν, quod ipse significat haec addens, ὡς περὶ οὐκ οὖν δὴ Πηγῆς τὸν κῆρα τὸν πατέρα. Itaque nihil h. l. Plato respexit nisi communem illam narrationem de Scythiis τοῖς κρανίοις ἐκπέμψασιν utentibus. v. Strabo VII. p. 458. A. et p. 460. B. Heindorf. — Videlicet est fallacia compositionis, quam dialectici appellant, h. e. qua conjuncte accipiuntur, quae sunt accipienda divisim. Veluti sophista antea hunc in modum argumentabatur. Quia canis est Ctesippi, consequitur eum esse Ctesippi patrem. Eodem igitur modo nunc Ctesippus argutando ludit: Scytharum, inquit, di-

τοῖς ἐαυτῶν, ὡςπερ σὺ νῦν δὴ ἔλεγες τὸν κόνα τὸν πατέρα, καὶ ὁ θαυμασιώτερόν γε ἐτι, ὅτι καὶ πίνουσι ἐκ τῶν ἐαυτῶν κοραίων κεχρυσωμένων, καὶ ταῦτα ἐντὸς καθορῶσι, τὴν ἐαυτῶν κορυφήν ἐν ταῖς
300 χερσὶν ἔχοντες. Πότερον δὲ ὀρῶσι, ἔφη ὁ Εὐθύδημος, καὶ Σκύθαι τε καὶ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι τὰ δυνατὰ ὀρᾶν ἢ τὰ ἀδύνατα; Τὰ δυνατὰ δήπου. Οὐκοῦν καὶ σὺ, ἔφη; Καγὼ. Ὅρας οὖν τὰ ἡμέτερα ἱμάτια; Ναί. Δυνατὰ οὖν ὀρᾶν ἐστὶ ταῦτα. Ὑπερφῶς, ἔφη ὁ Κτήσιππος. Τί δέ; ἢ δ' ὅς. Μηδέν. σὺ δ' ἴσως οὐκ οἶε αὐτὰ ὀρᾶν· οὕτως ἡδὺς εἰ. ἄλ-

P. 300. οἶε αὐτὰ ὀρᾶν] Sic Bodl. Vat. Gr. Vind. Legatur olim ὀρᾶν αὐτὰ. Dein Bodl. Vat. Gr. Coisl. Ven. S. Vind. Urbin. et pr. Par. B. ἐπιχειροῦσθαι.

καὶ εἰ οἶόν τε λέγοντα] εἰ de Stephani coniectura additum librorum caret commendatione.

tissimi habentur, qui plurimum auri habent in craniis suis reconditum, h. e. in craniis, quae possident. Iam vero craniis istis deauratis etiam pro poculis utuntur. Ergo illi ex suis ipsorum craniis bibunt adeoque suos ipsorum vertices manibus tenentes illa introspiciunt.

P. 390. καὶ Σκύθαι τε καὶ οἱ ἄλλοι ἄνθρωποι] Recte Winckelmannus te tuetur comparatis locis Euthydem. p. 286. C. Legg. I. p. 633. A. II. p. 665. E.

Δυνατὰ οὖν ὀρᾶν ἐστὶ ταῦτα] Ambiguitas per constructionis rationem quaesita. Nam δυνατὰ per attractionem dicitur pro δυνατόν, ita quidem, ut verba vi et potestate activa accipienda sint. Phaedr. p. 256. B. οὐ μείζον ἀγαθόν οὔτε σωφροσύνη ἀνθρώπινη οὔτε φιλία μανία δυνατὴ ποιεῖται ἀνθρώπων. De Rep. v. q. 471. C. δυνατὴ αὐτὴ ἢ πολιτεία γενέσθαι. Ibid. VIII. p. 559. B. δυνατὴ δὲ κολάζομένη ἀπαλλάττεσθαι.

Τί δέ; ἢ δ' ὅς. Μηδέν.] Sophistae interroganti, quid sit quod vestes videant, Ctesippus festive respondet: Nihil; atque tum ridens pergit: tu autem fortasse non putas illas videre; adeo suavis es! Formulam ἡδὺς εἰ, suavis, i. e. fatuus, es, ad Hipp. maior. p. 300. C. attigimus, copiose illustravit Ruhnken. ad Tim. p. 131.

καὶ * εἰ * οἶόν τε λέγοντα] —] Recepimus εἰ de coniectura Stephani, quod consilium recentioribus editoribus omnibus probatum est, si ab uno discesseris Winckelmanno. Is enim protasin sine εἰ positam censet, sicut in Horatiano illo: Non possis oculo quantum contendere Lynceus, Non tamen idcirco contemnas Ippus inungi; cuius generis alia multa collegerunt Bentleius ad Horat. Satyr. II. 6, 48. Heindorf. ad Satyr. I. 1, 45. Gronov. Obs. 4, 20. p. 315. Manut. ad Cicer. Verr.

λά μοι δοκεῖς, Εὐθύδημε, οὐ καθεύδων ἐπιχειροῦσθαι, καὶ * εἰ * οἶόν τε λέγοντα μηδὲν λέγειν, καὶ σὺ τοῦτο ποιεῖν. Cap. XXVI. Ἡ γὰρ οὐχ οἶόν τε, B ἔφη ὁ Διονυσόδωρος, σιγῶντα λέγειν; Οὐδ' ὅπως οὖν, ἢ δ' ὅς ὁ Κτήσιππος. Ἄρ' οὐδὲ λέγοντα σιγᾶν; Ἐτι ἦττον, ἔφη. Ὅταν οὖν λίθους λέγῃς καὶ ξύλα καὶ σιδήρια, οὐ σιγῶντα λέγεις; Οὐκοῦν, εἰ γε ἐγώ, ἔφη, παρέρομαι ἐν τοῖς χαλκείοις, ἀλλὰ φθεγγόμενα καὶ βοῶντα μέγιστον τὰ σιδήρια λέγεται, ἐάν τις ἀψηπῶν. ὥστε τοῦτο μὲν ὑπὸ σοφίας ἐλαθεσ οὐδὲν εἰπῶν. ἀλλ' ἐτι μοι τὸ ἕτερον ἐπιδείξατον, ὅπως αὐ

B. ἢ δ' ὅς ὁ Κτήσιππος] ὅς om. Bodl. Vat. Gr.

Οὐκοῦν εἰ γε ἐγώ] ἦγε Bodl. Vat. Gr. Vind. Florr. ἦγε Ven. ΞΣ. Par. BC. Palat. ἦγε Coisl. Barb. unde Winckelmannus effinxit ἦ γε ἐγώ. Sed ἦ ab hoc loco alienum.

6, 63. Matthiae ad Orat. pro Rosc. Am. §. 55. Drackenb. ad Liv. XXI. 10, 6. al. ex quibus Heindorfius etiam Graecorum scriptorum exempla commemoravit, quae sane non pauca apud ipsum Platonem extant. At enim vero quantumvis haec loquendi forma Graecis Latinisque scriptoribus celebrata sit, tamen ea certis quibusdam finibus circumscripta fuerit necesse est. Neque ea locum habet nisi in oratione vividiore, quae refert speciem quandam sermocinationis. Talis enim oratio partientiam condicionalem non requirit propterea, quod protasis ita potest pronuntiari, ut prope accedat ad formam interrogationis. Quod quum in hunc locum nullo modo conveniat, librorum scripturam vitiatam esse dubitari non potest. Nihil autem facilius potuit accidere, quam ut εἰ post καὶ a scribis obliteraretur. De aliis locis Platonis ad hanc normam examinandis suo tempore explicabitur.

B. οὐ σιγῶντα λέγεις] H. e. nonne silentio dicis? Pervertit enim sensum verborum, σιγῶντα nunc per amphibosiam genere neutro accipiens. Aristotel. Sophist. Elench. c. IV. 6. iam a Routhio laudatus Παρὰ δὲ τὴν ἀμφιβόλλαν, inquit, οἱ τοιοῦτοι λόγοι· ἄρα ἐστὶ σιγῶντα λέγειν; διπλὸν γὰρ ἐστὶ καὶ τὸ σιγῶντα λέγειν, τὸ τε τὸν λέγοντα σιγᾶν καὶ τὸ τὰ λεγόμενα. conf. etiam X. 8. Ad haec vero Ctesippus, sophistam rursus ludificans, respondet: Minime vero, siquidem obambulo per officinas ferrarias, sed sonantia et vel maxime loquentia ferra dicuntur (i. e. vocantur), si quis ea attigerit. Eumvero φθέγγεσθαι et βοᾶν etiam de rebus inanimis usurpatur. Dio Cass. p. 1094, 94. de Vesuvio: ἦχε τε καὶ βοᾶ (Vesuvius). Pro λέγεται Astius legendum coniecit λέγει, quo verior ut opus sit.

C ἔστι λέγοντα σιγῶν. Καὶ μοι ἐδόκει ὑπεραγωνιῶν ὁ Κτήσιππος διὰ τὰ παιδικά. Ὅταν σιγῆς, ἔφη ὁ Εὐθύδημος, οὐ πάντα σιγῆς; Ἐγώ γε, ἢ δ' ὅς. Οὐκ οὖν καὶ τὰ λέγοντα σιγῆς, εἴπερ τῶν ἀπάντων ἔστι τὰ λέγοντα. Τί δέ; ἔφη ὁ Κτήσιππος, οὐ σιγῆ πάντα; Οὐ δῆπου, ἔφη ὁ Εὐθύδημος. Ἄλλ' ἄρα, ὧ βέλτιστε, λέγει τὰ πάντα; Τὰ γε δῆπου λέγοντα. Ἄλλ', ἢ δ' ὅς, οὐ τοῦτο ἐρωτῶ, ἀλλὰ τὰ πάντα σιγῆ ἢ λέγει; Οὐδέτερα καὶ ἀμφοτέρω, ἔφη ὑφαρπιάσας ὁ Διονυσόδωρος· εὐ γὰρ οἶδα ὅτι τῇ ἀποκρίσει οὐχ ἔξεις ὁ τι χρῆ. Καὶ ὁ Κτήσιππος,

C. εἴπερ τῶν ἀπάντων ἔστι τὰ λέγοντα] τὰ λεγόμενα Bodl. Vind. Coisl. Ven. SS. Par. BCE. Angel. Barbar. Pal. Urb. Vat. r. Flor. a. b. c. o. Ald. Bas. 1. 2. Recte Cornarius correxit τὰ λέγοντα, quod tuetur Vat. Θ. Praeterea idem vir doctus ante τὰ λέγοντα inserendam censuit καὶ, non improbante Heindorfio.

οὐ σιγῆ πάντα] Heindorf. coni. τὰ πάντα.

Ἄλλ' ἄρα, ὧ βέλτ. Sic Vindob. Ceterae edit. Ἄλλ' ἄρα.

D. ἐξηφοτέρω τ. λ.] ἐξηφοτέρω Ven. Σ. Angel. Pal. et Flor. errore. Dein Heindorf. corr. καὶ ἀπολώλεκε καὶ ἤτηται. In Ang. Pal. Flor. o. et pr. Ven. Σ. τε ὀμmissum. Pro ἤτηται Vind. Vat. r. Par. BC. Barb. et pr. Coisl. ἤτησαι.

ὥστε ὁ Κτήσιππος] ὥστε Bodl. Vat. Θ. Dein vulgo

C. ἐδόκει ὑπεραγωνιῶν] V. ad Charmid. p. 162. B. quem locum iam Heindorfius comparavit.

εἴπερ τῶν ἀπάντων ἔστι τὰ λέγοντα] siquidem τὰ λέγοντα non exenta sunt numero τῶν ἀπάντων. Argumentum hunc in modum concluditur: Quando siles, omnia siles. Iam vero τὰ λέγοντα ad omnia illa pertinent. Ergo siles τὰ λέγοντα. Ex his perspicuum est nihili esse quod vett. edit. et codd. magno consensu tuentur τὰ λεγόμενα; nec cuiquam placebit Winckelmanni ratio hanc lectionem sic interpretantis; atqui quaecumque dicuntur, i. e. quaecumque sermonis ore eloquimur et proinde etiam ipsa τὰ λέγοντα, ad omnia pertinent.

Verum iam Stephanus de Cornarii coniectura restituit, idque confirmatur verbis Ficini: illa, quae dicunt. Mox Heindorfius legendum censet, inserto articulo: οὐ σιγῆ τὰ πάντα, ut τὰ πάντα intelligantur de haec rerum universitate. Nec tamen hac correctione opus est, siquidem πάντα simpliciter est omnia.

Οὐδέτερα καὶ ἀμφοτέρω] Neutrū et utramque, inquit Dionysodorus sermonem arripit. De plurali numero v. ad Lysid. p. 218. K. — οὐχ ἔξεις ὁ τι χρῆ, h. e. quomodo eam redarguas, de quo formulae usu v. ad p. 207. K.

D. ἐξηφοτέρω τὸν λόγον] Recte explicat Heindorf-

ὥστερ εἰώθει, μέγα πάνν ἀνακαγγάσας, ὦ Εὐθύδημε, ἔφη, ὁ ἀδελφός σου ἐξηφοτέρω τὸν λόγον, καὶ ἀπολώλε τε καὶ ἤτηται. Καὶ ὁ Κλεινίας πάνν ἤσθη καὶ ἐγέλασεν, ὥστε ὁ Κτήσιππος ἐγένετο πλείον ἢ δεκαπλάσιος. ὁ δέ μοι, πανοῦργος ὢν, ὁ Κτήσιππος, παρ' αὐτῶν τούτων αὐτὰ ταῦτα παρακηκοί· οὐ γὰρ ἔστιν ἄλλον τοιαύτη σοφία τῶν νῦν ἀνθρώπων. Cap. XXVII. Καγὼ εἶπον, Τί ἐγέλῃς, ὦ Κλεινία, ἐπὶ σπουδαίοις οὕτω πράγμασι καὶ καλοῖς; Σὺ γὰρ ἤδη τι πάποτε εἶδες, ὦ Σώκρατες, καλὸν πράγμα; ἔφη ὁ Διονυσόδωρος. Ἐγώ γε, ἔφη,

πλείον, quod e Bodl. Vat. Θ. Vindob. Coisl. Ven. Σ. Par. BC. Ang. Barb. correctum. Pro δεκαπλάσιος Vind. Vat. r. διπλάσιος, ut est apud Aristid. Vol. I. p. 454. ed. Dind.

ὁ δέ μοι πανοῦργος ὢν ὁ Κτ.] V. δ' ἰδοὺ μοι, ἄτε πανοῦργος ὢν, ὁ Κτ. quod soli tuentur Par. E. Urb. Flor. b. Heindorfus de Heusdii coniectura dedit: ὁ δέ, δοκεῖ μοι, ἄτε παν. procul dubio ille nunc codices auditorus. Istud ὁ Κτήσιππος post ὁ δέ Heusdus p. 66. Specim. Crit. eliminandum censuit. Sed recte monuit Heindorfius saepenumero ita post ὁ δέ ipsum nomen inferri.

παρακηκοί] Sic Bodl. Vat. Θ. Coisl. et pr. Par. B. Vett. edit. παρακηκοί, addito augmento.

fius: sermonem eo perduxit, ut de eo in utramque partem possit statui. De qua re cur adeo exsulet Ctesippus, perspicuum est ex illis p. 297. A. διαφθεροῖς τὸν λόγον, καὶ φανήσεται οὐτοῦ οὐκ ἐπιτάμενος καὶ ἐπιστήμων ἄμα ὢν καὶ ἀνεπιστήμων. Bene igitur Hesyehius: Ἐξαμφοτέρω τὸ ἀμφίβολον ποιῆσαι καὶ τὸ δύο πραγμάτων ἐκπεσεῖν. conf. Ruhnk. ad Tim. p. 107. qui explicat ἐξ ἀμφίβολων ἀγαγῆν τὸν λόγον. Iam vero quia sophista sua ipsius responsione confutatus est, recte addit adolescens: καὶ ἀπολώλε τε καὶ ἤτηται, perit atque victus est, in quibus neque cum Winckelmanno ὁ λόγος ad ἀπόλωλε intelligendum neque cum

Heindorf. ἀπολώλεκε καὶ ἤτηται scribendum putamus.

ἐγένετο πλείον ἢ δεκαπλάσιος] Ficinus: quare Ctesippus gestiens longius in decuplum laetitia crevit. Aptē his comparat Heindorfius Aristid. Orat. Sacr. I. p. 494. — p. 454. ed. Dind. ἤδη μὲν τις καὶ ἄλλος χρηστοῦ τινος αὐτῷ συμβάτος καὶ βουλομένου ἐνδείξασθαι τὴν ἡδονὴν εἶπεν, ὡς ἄρα εἴη πλείον ἢ διπλάσιος γεγονώς. conf. ad Menex. p. 235. A. Mox παρακηκοίεν est clam aliorum sermones sublegere et cognoscere, abhorchen, ablauschen. Aristoph. Rann. v. 750. καὶ παρακωνῶν δεσποτῶν ἄτ' ἂν λαλώσιν. Theophrast. Charact. VIII. 3. λέγει δέ ὡς καὶ

καὶ πολλὰ γε, ὦ Διονυσόδωρε. Ἄρα ἕτερα ὄντα τοῦ
 301 καλοῦ, ἔφη, ἢ ταῦτα τῷ καλῷ; Καγὼ ἐν παντὶ ἐγε-
 νόμην ὑπ' ἀπορίας, καὶ ἠγοῦμην δίκαια πεπονθέναι,
 ὅτι ἐγρονῆσα, ὅμως δὲ ἕτερα ἔφην αὐτοῦ γε τοῦ καλοῦ·
 πάρεστι μέντοι ἐκάστῳ αὐτῶν κάλλος τι. Ἐὰν οὖν, ἔφη,
 παραγενηταί σοι βοῦς, βοῦς εἶ, καὶ ὅτι νῦν ἐγὼ σοὶ πάρεμι,
 Διονυσόδωρος εἶ; Εὐφῆμι τοῦτό γε, ἦν δ' ἐγώ. Ἀλλὰ τίνα
 B τρόπον, ἔφη, ἕτερον ἕτερον παραγενομένου τὸ ἕτερον ἕτε-
 ρον ἂν εἶη; Ἄρα τοῦτο, ἔφην ἐγώ, ἀπορεῖς; ἦδη δὲ τοῖν
 ἀνδροῖν τὴν σοφίαν ἐπεχείρουν μιμεῖσθαι, ἅτε ἐπιθυμῶν
 αὐτῆς. Πῶς γὰρ οὐκ ἀπορῶ, ἔφη, καὶ ἐγὼ καὶ οἱ
 ἄλλοι ἅπαντες ἀνθρώποι ὃ μὴ ἔστι; Τί λέγεις, ἦν δ'
 ἐγώ, ὦ Διονυσόδωρε; οὐ τὸ καλὸν καλὸν ἔστι καὶ
 τὸ αἰσχρὸν αἰσχρὸν; Ἐὰν ἔμοιγε, ἔφη, δοκῆ. Οὐκοῦν

P. 301. B. ἦδη δὲ τοῖν ἀνδροῖν τὴν σ.] Bodl. Vat. Gr.
 et a pr. m. Vind. ἦδη διὰ τῶν ἀνδρῶν σοφίαν.

C. ἐπεὶ τὰ ἄλλα] Hoc restituit Cornarius pro vulg. ἐπει-
 τα ἄλλα.

παγκάλως ἀπεργάζεσθαι] ἀπεργάζεσθε Vind. Vat. r.
 Ven. Σ. alii. Prius ἀπεργάζεσθαι Heindorffius censet elegantius
 omissum iri.

Οἶσθα οὖν, ἔφη] ἔφη e Vat. Gr. et Ficino additum resti-
 tuendum vidit Routhius.

παρικήκοι παρὰ τούτοις κρητιό-
 μενόν τινα ἐν οἰκίᾳ, ἦδη πέμ-
 πτην ἡμέραν ἤκοντα ἐκ Μακεδό-
 νιας, ὅς πάντα ταῦτα οἶδε. Verbi
 usum illustravit vir doctus in
 Obs. Miscellan. Vol. III. p. 94.
 Boissonad. ad Eupar. p. 151.
 De Ctesippo v. Lysid. p. 211. B.

P. 301. ἐν παντὶ ἐγε-
 νόμην] in summa versabar
 consilii inopia. v. ad Symp.
 p. 194. A. — ὅτι ἐγρονῆσα,
 quod hicere ausus essem,
 quod mussitavisse; v.
 in pp. ad Aristoph. Plut.
 v. 17.

πάρεστι μέντοι ἐκάστῳ
 —] nam res singulae, quae pul-

crae vocantur, sub ipsam pul-
 critudinis speciem subiectae
 sunt: unde haec in illis inesse
 vel iis adesse dicitur.

παραγένηται σοὶ βοῦς:]
 Est fallacia homonymiae, quan-
 doquidem diverso sensu παρα-
 γένεσθαι dicuntur bos atque
 pulcritudo.

Ἀλλὰ τίνα τρόπον —]
 At quomodo, aliud alii si
 adest, aliud erit aliud? h.
 e. qui fieri potest, ut quid per
 aliud quiddam, quod ab eo di-
 versum sit, aliud reddatur, quem-
 admodum res pulcræ sunt?

B. οὐκ ἀπορῶ — ὃ μὴ
 ἔστιν] Constructionem attigi-
 mus supra p. 279. A. Eodem

δοκῆ; Πάνν γε, ἔφη. Οὐκοῦν καὶ τὸ ταῦτον ταῦ-
 τὸν καὶ τὸ ἕτερον ἕτερον. οὐ γὰρ δήπου τό γε ἕτε-
 ρον ταῦτόν, ἀλλ' ἐγωγε οὐδ' ἂν παῖδα ᾤμην τοῦτο
 ἀπορῆσαι ὡς οὐ τὸ ἕτερον ἕτερόν ἐστιν. ἀλλ', ὦ Διο- C
 νυσόδωρε, τοῦτο μὲν ἐκὼν παρήκας, ἐπεὶ τὰ ἄλλα
 μοι δοκεῖτε ὡς περ οἱ δημιουργοί, οἷς ἕκαστα προσή-
 κει ἀπεργάζεσθαι, καὶ ὑμεῖς τὸ διαλέγεσθαι παγ-
 κάλως ἀπεργάζεσθαι. Οἶσθα οὖν, ἔφη, ὅ τι προσ-
 ἤκει ἐκάστοις τῶν δημιουργῶν; πρῶτον τίνα χαλ-
 κεύειν προσήκει, οἶσθα; Ἐγωγε· ὅτι χαλκία. Τί δὲ
 κεραμεύειν; Κεραμεῖα. Τί δὲ σφάττειν τε καὶ ἐκδέ-
 ρειν καὶ τὰ μικρὰ κρέα κατακόψαντα ἐψεῖν καὶ
 ὀπτᾶν; Μάγειρον, ἦν δ' ἐγώ. Οὐκοῦν ἐὰν τις, ἔφη, D
 τὰ προσήκοντα πράττη, ὀρθῶς πράξει; Μάλιστα.

τίνα χαλκεύειν προσήκει, οἶσθα; Ἐγωγε, ὅτι χ.] Sic
 primus scripsi, probante Winckelm., secutus Bodl. Vat. r. Vind.
 Coisl. Par. B. Pal. Urb. Flor. o. et Ficinum. Vulgo: τίνα χαλ-
 κεύειν προσήκει; Οἶδα ἔγωγε ὅτι χαλκία, quod tenuit Bekker.

τί δὲ κεραμεύειν] Bekker. e Vat. r. Ven. Σ. dedit τίνα δὲ
 χ. et τίνα δὲ σφάττειν praeter necessitatem. Mox Ven. Σ. ἐκδέ-
 ρειν, ut sect. D. Mox quod scriptum legitur ἐψεῖν, quum p. 285.
 C. sit ἐψέτω, nemo id mirabitur qui legerit Lobeckium ad Aiacem
 p. 181. ed. 2.

modo statim post: οὐδ' ἂν παῖδα
 ᾤμην τοῦτο ἀπορῆσαι.

οὐ τὸ καλὸν καλὸν ἔστι]
 Imitatur nunc Socrates sophi-
 starum disserendi rationem ideo-
 que verba premens neminem
 dubitare posse ait, quin idem
 sit idem, aliud autem aliud.
 οὐδ' ἂν παῖδα — Symp. p.
 217. E. εἰ πλέον ἢ παιδῶν δι-
 νέγκοι τῶν ποποτε ἀγαθέων λό-
 γων. Atque satis tritum est il-
 lud κἄν παῖς γνῶη.

C. τοῦτο μὲν ἐκὼν παρή-
 κας] hoc sponte remisi-
 sti neque solito acumine
 voluisti rimari; nam ce-
 tera mihi videmini — dis-

putandi artem praeclare
 factitare.

πρῶτον τίνα χαλκεύειν
 προσήκει] Accusativo nunc
 utitur fallacia amphiboliae, de
 qua dixit Aristot. Sophist.
 Elench. p. 597. ed. Bip. i. e.
 XIX. 4.

καὶ τὰ μικρὰ κρέα κα-
 τακόψαντα] Quod Winckel-
 mannus coniecit κατὰ μικρὰ
 κρέα, id etsi prima specie blan-
 ditur, tamen re accuratius exa-
 minata non videbitur necessa-
 rium. Nam τὰ μικρὰ κρέα sunt
 frustula illa, in quae carnes ab
 coquis dissecari solent. Quo-
 circa articulus nihil habet offen-
 sionis.

Προσῆκει δὲ γε, ὡς φῆς, τὸν μάγειρον κατακόπτειν καὶ ἐκδέρειν; ὁμολόγησας ταῦτα ἢ οὐ; Ὁμολόγησα, ἔφη, ἀλλὰ συγγνώμην μοι ἔχε. Δῆλον τοίνυν, ἢ δ' ὅς, ὅτι ἂν τις σφάξας τὸν μάγειρον καὶ κατακόψας ἐμήσῃ καὶ ὀπτήσῃ, τὰ προσήκοντα ποιήσει· καὶ ἐὰν τὸν χαλκία τις αὐτὸν χαλκίῃ καὶ τὸν κεραμεία κεραμείῃ, καὶ οὗτος τὰ προσήκοντα πράξει. Cap. XXVIII. Ὡς Ποσειδον, ἦν δ' ἐγώ, ἤδη κολοφῶνα ἐπιτίθης τῇ σοφίᾳ. Ἄρα μοι ποτε αὕτη παραγενήσεται, ὥστε μοι οἰκεία γενέσθαι; Ἐπιγνοίης ἂν αὐτήν, ὦ Σώκρατες, ἔφη, οἰκείαν γενομένην; Ἐὰν σὺ γε βούλῃ, ἔφη ἐγώ, δῆλον ὅτι. Τί δέ, ἢ δ' ὅς, τὰ σαντοῦ οἰεὶ γινώσκεις; Εἰ μὴ τι σὺ ἄλλο λέγεις· ἀπὸ σοῦ γὰρ δεῖ ἀρχεσθαι, τελευτῶν δ' εἰς Εὐθύδημον

E. Ἐὰν σὺ γε βούλῃ] Haec Cornarius sic transponenda iudicavit: Ἐπιγνοίης — οἰεὶ γενομένην. Ἐὰν σὺ γε βούλῃ, ἔφη. Τί δέ; ἢ δ' ὅς, τὰ σαντοῦ οἰεὶ γινώσκεις; Ἐγώ δῆλον οἶμι, εἰ μὴ τι σὺ ἄλλο λέγεις. At nimirum verba ita cohaerent: δῆλον ὅτι (ἐπιγνοίης αὐτήν) ἔφη ἐγώ, ἐὰν σὺ γε βούλῃ, ut ne literula quidem loco movenda sit.

οἶον βοῦς καὶ πρόβατον] πρόβατα quod e Bodl. Vind. Ven. S. Ang. Par. B. Flor. a. c. o. mutatum.

D. καὶ ἐὰν τὸν χαλκία τις αὐτὸν χαλκίῃ] Pro αὐτὸν fuit qui a scripto mallet. Nec placet sane istud αὐτὸν, nisi explicare velis: ipsum fabrum aetarium, qui alias metalla tractare solet.

E. κολοφῶνα ἐπιτίθης τῇ σοφίᾳ] De hoc proverbio v. Suidas v. τὸν κολοφῶνα. Apostol. p. 237. Hesychius s. v. Etymol. Magn. p. 525. Wesseling. ad Diodor. II. 40. Wytttenbach. ad Select. Princip. Hist. p. 441. Plutarch. de S. N. V. p. 22. Ruhnken. apud Heusdium Specim. crit. p. 33.

Ἐπιγνοίης ἂν αὐτήν —] Num eam agnosceres, si tibi propria configisset? Mox de formula εἰ μὴ τι σὺ ἄλλο λέγεις conf. Phaedr. p. 235.

A. Hipp. mai. p. 291. A. Gorg. p. 462. C. De Rep. IV. p. 430. B. ibique ann.

ἀπὸ σοῦ γὰρ δεῖ —] „Nam vos instar omnium estis. A te incipiendum, in fratre tuo desinendum; missis ceteris omnibus in vestra amborum suffragatione acquiescendum. Homer. Iliad. IX. 96. Ἀγορεύη κἀδιστε, ἀναξ ἄνδρῶν Ἀγαμέμνον, Ἐν σοὶ μὲν λέξω, σέο δ' ἀρχομαι, οὐνεκα πολλῶν Ἀσῶν ἔσοι ἀναξ κ. τ. λ. Horat. Epist. I. 1. Primo dicte mihi, summa dicende Camoena. conf. Ruhnken. ad Hymn. in Bacch. v. 9.“ Heindorf.

τόνδε. Ἄρ' οὖν, ἔφη, ταῦτα ἡγεῖσά εἶναι, ἂν ἂν ἀρχῆς καὶ ἐξῆ σοι αὐτοῖς χορησθαι ὅ τι ἂν βούλῃ; οἶον βοῦς καὶ πρόβατον, ἄρ' ἂν ἡγοῦτο ταῦτα σά εἶναι, ἃ σοι ἐξείη καὶ ἀποδόσθαι καὶ δοῦναι καὶ θῦσαι ὅτῳ βούλοιο θεῶν; ἃ δ' ἂν μὴ οὕτως ἔχη, οὐ σά; Καγὼ, ἤδη γὰρ ὅτι ἐξ αὐτῶν καλόν τι ἀνακῆφοι τὸ τῶν ἐρωτημάτων, καὶ ἅμα βουλόμενος ὅ τι τάχιστα ἀκούσαι, Πάνν μὲν οὖν, ἔφη, οὕτως ἔχει· τὰ τοιαῦτα ἐστὶ μόνον ἐμᾶ. Τί δέ; ζῶα, ἔφη, οὐ ταῦτα καλεῖς, ἃ ἂν ψυχὴν ἔχη; Ναί, ἔφη. Ὁμολογεῖς οὖν τῶν ζώων ταῦτα μόνον εἶναι σά, περὶ ἃ ἂν σοι ἐξονσία ἢ πάντα ταῦτα ποιεῖν, ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον; Ὁμολογῶ. Καὶ ὅς, εἰρωνικῶς πάνν ἐπισχῶν ὡς τι μέγα σχοπούμενος, Εἰπέ μοι, ἔφη, ὦ Σώκρατες,

P. 302. ὅτῳ βούλοιο θεῶν] V. βούλει, quod soli tenent Par. E. et Flor. b.

ἢ δὴ γὰρ δεῖ] V. ἦδειν, quod auctoritate Bodl. Vat. O. Vindob. Par. E. al. mutavimus.

ἀνακῆφοι τὸ τῶν ἐρωτ.] Sic praecunte Bekkero e Ven. S. Par. C. Angel. Barb. Flor. b. et pr. Coisl. dedimus pro vulg. ἀνακῆφοι τῶν ἐρωτ. Ven. Z. Pal. Flor. a. o. ἀνακῆφει τὸ τῶν ἐρωτ.

καὶ ἐξῆ σοι αὐτοῖς χορ.] Debebat esse καὶ οἷς ἐξῆ σοι χορησθαι. Sed ita sexcenties demonstrativum praegresso relativo inferitur. v. ad Hipp. mai. 289. E. Matthiae Gr. §. 472. 3. p. 881. De nominativo οἶον βοῦς καὶ πρόβατον sequente ἄρ' ἂν ἡγοῦτο εἶναι, v. Heindorf. ad Cratyl. §. 47. Theaet. §. 78. Rem optime illustrat Bernhardy Syntax. p. 68 sqq.

P. 302. καλόν τι ἀνακῆφοι τὸ τῶν ἐρωτημάτων] Iungas hunc in modum: τὸ τῶν ἐρωτημάτων ἀνακῆφοι καλόν τι, emersuram esse quaestionem perpulcram. Nam τις adiectivis additum fere habet vim intendendi. v. Ernesti ad Xenoph. Mem. I. 2, 39.

Dorvill. ad Chariton. p. 364. ed. Lips.

καὶ ἅμα βουλόμενος —] Expectabas καὶ ἅμα ἐβουλόμην. Sed participium subiungitur perinde ac si pro ἢ δὴ γὰρ dictum esset εἰδώς. conf. Matthiae Gr. p. 1300 sq.

B. ἐπισχῶν ὡς τι μέγα σκ.] Usam participii ἐπισχῶν exemplis illustravimus ad Charitid. p. 160. E. Dicitur autem sophista εἰρωνικῶς πάνν moram interposuisse. Enimvero simulabat se magnum quiddam et grave in medium allaturum esse, quum nihil nisi novas tricas meditaretur. Apte cantabit Winkelmanus Cratyl. p. 383. E. εἰρωνικῶς τι πρὸς ἐμῆ, προσποιούμενος τι αἰτιὸς ἐν ἑαυτῷ διανοεῖσθαι ὡς εἰδώς περὶ αὐτοῦ.

ἔστι σοι Ζεὺς πατῆρ; Καὶ ἐγὼ ὑποπεύσας ἤξειν τὸν λόγον ἢ περ ἐτελεύτησεν, ἀπορὸν τινα στροφήν ἐφευγόν τε καὶ ἐστρεφόμην ἤδη, ὡς περ ἐν δικτύῳ εἰλημμένος. Οὐκ ἔστιν, ἦν δ' ἐγὼ, ὦ Διονυσόδωρε. Ταλαίπωρος ἄρα τις σύ γε ἀνθρώπος εἶ καὶ οὐδὲ C Ἀθηναῖος, ὃ μῆτε θεοὶ πατῆρ οἱ εἰσι μῆτε ἱερά μῆτε ἄλλο μηδὲν καλὸν καὶ ἀγαθόν. Ἐα, ἦν δ' ἐγὼ, ὦ Διονυσόδωρε, εὐφῆμι τε καὶ μὴ χαλεπῶς με προ-

C. ἔστι γὰρ ἔμοιγε καὶ βωμοί] Verba καὶ βωμοί om. Bodl. et Vat. G. v. commentar.

οὐθ' ὄσοι — οὐθ' ἡμῖν] Ita cum Bekkero correximus

υποπεύσας ἤξειν τὸν λόγον —] rediturum sermonem eo, ubi finierat. p. 301. D. Sic ἤκειν positum Menex. p. 240. A. Eurip. Suppl. v. 458. ἤκεις δὲ τι τῆςδε γῆς κερημένος; Eodem modo ἐρχεσθαι et ἔναι usurpari docuit Heindorf. ad Protagor. p. 310. C. Poteris tamen verba etiam hunc in modum interpretari: deventuram esse orationem, quo tandem devenit; quam explicationem Astio placuisse video. Proxima: ἀπορὸν τινα στροφήν ἐφευγόν, ego sic intelligo: callida tergiversatione effugere studebam, eaque tali, quae nullum inveniret exitum, neque torquebam tanquam reti impeditus vel constrictus. Nam aliorum interpretatio: fallaciam, unde exitus erat nullus, effugere studebam, certas quasdam ab causis vehementer displicet. conf. De Rep. V. p. 405. C. ὡς δεινὸς ὢν περὶ τὸ ἀδικεῖν καὶ ἱκανὸς πάσας μὲν στροφὰς στρέφασθαι, πάσας δὲ διεξόδους διεξελθὼν ἀποστραφῆναι. Ibid. V. p. 453. D. De verbis ἐν δικτύῳ εἰλημμένος v. ad Criton. p. 43. C.

C. μὴ χαλεπῶς με προδίδασκε] V. ad Gorg. p. 489. D. Hipp. mai. p. 291. B.

ἔστι γὰρ ἔμοιγε καὶ βωμοὶ καὶ ἱερά] Quod Bodl. et Vat. καὶ βωμοὶ omittunt, id ipsum rursus argumento est hos libros grammaticorum correctiones expertos esse. Ktenim exterminarunt haec vocabula, qui in numero verbi singulari haerent. Sed v. ad Sympos. p. 188. B. De Rep. II. p. 363. A. Matthiae Gr. §. 303. Praeterea conf. Legg. VII. p. 800. B. παραστάς βωμοῖς τε καὶ ἱεροῖς. VI. p. 771. D. βωμοῖς τε καὶ τὰ τοῦτοις προσήκοντα ἀποδόντες. X. p. 910. A. ἱερά τε καὶ βωμοῖς ἐν ἰδίας οἰκίας ἰδρονέμενοι. Sympos. p. 189. C. μέγιστά γ' ἂν αὐτοῦ ἱερά κατασκευάσαι καὶ βωμοῖς καὶ θυσίας ἂν ποιεῖν μέγιστας. Quocirca ego quidem non exprobo, cur Schneiderus ad Remp. I. p. 122. verba καὶ βωμοὶ per se suspecta esse indicaverit.

Οὐκ ἔστιν, ἦν δ' ἐγὼ, αὐτή ἢ ἐπων.] Hic locus dici non potest quantos dubitationum fluctus excitaverit. Quum enim

διδασκε. ἔστι γὰρ ἔμοιγε καὶ βωμοὶ καὶ ἱερά οἰκεία καὶ πατῆρ καὶ τὰλλα ὅσα περ τοῖς ἄλλοις Ἀθηναίοις τῶν τοιούτων. Εἶτα τοῖς ἄλλοις, ἔφη, Ἀθηναίοις οὐκ ἔστι Ζεὺς ὁ πατῆρ; Οὐκ ἔστιν, ἦν δ' ἐγὼ, αὐτή ἢ ἐπωνυμία Ἰώνων οὐδενί, οὐθ' ὄσοι ἐκ τῆςδε τῆς πόλεως ἀπαρισμένοι εἰσὶν οὐθ' ἡμῖν, ἀλλὰ Ἀπόλλων πατῆρ διὰ τὴν τοῦ Ἰανὸς γένε- D

vulgatum οὐδ' ὄσοι — οὐθ' ἡμῖν, quod Winckelmannus non debebat defendere. v. ad Lachet. p. 196. D.

ἐκ τῆςδε τῆς πόλεως] Errore τῆς excidit in edit. Bipont. Heindorf. Bekker. Nam libri omnes illud tuentur constantissime.

